CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/adcodicemjvrisca0001vari

AD

CODICEM IVRIS CANONICI

BENEDICTI XV PONT. MAX.

AVCTORITATE PROMVLGATVM

COMMENTARIA MINORA

COMPARATIVA METHODO DIGESTA

CONCINNAVIT

DOCT. ALBERTVS TOSO

ECCL. CATHEDR. OPPIDEN.

CANONICVS

LIBER II. DE PERSONIS

TOMVS I.

« Justitiam namque colimus, boni
et aequi notitiam profitemur »
ULP.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
348.1
LIBRARY
T64
Alma, California

PROSTAT APVD

AVCTOREM
S. GREGORIO AL CELIO
ROMÆ (47)

PETRVM MARIETTI - EDITOREM
BIBLIOPOLAM - TYPOGRAPHVM PONTIFICIVM
TAVRINI (18) - ROMÆ (17)
DOMVS ANNO 1820 CONDITA

28700

IMPRIMATUR

Tiferni Tiberini, 1 ianuar. 1922

† *CAROLUS Episcopus*

Auctor omnia sibi vindicat proprietatis iura.

Tiferni Tiberini - Ex Officina Typographica Vinciana - MCMXXII

PRAEFATIO

Codicis librum alterum *de personis* ac, si Deus dederit, reliquos postea interpretaturi, methodum in primo explicando adhibitam substantialiter servabimus. Scilicet, cum sane nobis maturandum sit, neque ratio postulet, ut tam fuse ceteris quam primo libro immoremur, quidquid nostro iudicio rerum exponendarum perspicuitati conferre videatur, sive id institutorum origines aut per tempora evolutionem, sive rerum definitiones partitionesque respexerit, in medium summatim proferemus, ita dicam, in deambulando, introductionibus ad titulos singulos eorumque summariis omnino resecatis. Iuris vero principia, nec non legum rationes atque practicas consequentias, occasionem nacti, rebus expositis permiscebimus, orationisque partes, quo facilius reperiri queant, numero notabimus.

Utinam sermo, dum *breves esse laboramus,* iuxta illud Horatii *obscurus ne fiat*!

Romae, 15 dec. 1921.

CAN. ALBERTUS TOSO.

DE PERSONIS

TOMVS I.

Omne ius, quo utimur, ait Gaius (*Instit.* I, 2 § 8) *vel ad personas pertinet, vel ad res vel ad actiones.* Partitioni huic vetustissimae, quae ex methodo repetenda videtur, a romanis iurisconsultis in *stationibus* seu scholis iuridicis Urbis adhibita (cfr. Ferrini, *Il Digesto*, cap. 1), quaque postea et Iustinianus Aug. usus est in suis *Institutionibus,* Bernardus Papiensis in celeberrimo suo *Breviario Extravagantium* (a. 1187-1191) aliam suffecit. Haec versiculo continetur

iudex, iudicium, clerus, connubia, crimen

ac deinde in omnibus Decretalium libris usurpata est. At Ioannes Paulus Lancellotti, perusinus († a. 1590), in suis quatuor *Institutionum iuris canonici* libris pristinam partitionem restituit. Hanc tandem, quemadmodum nostri temporis legislatores civiles, et Legislator noster amplexus est, tanquam praxi magis accomodata. Cumque Gaius in tertia operis sui parte egerit de *actionibus,* quibus nempe persona, iura, sibi ratione rerum competentia, tueri poterat, noster Legislator, vestigia Iustiniani Aug. in *Digestis* quodammodo persecutus, iudicialem ac poenalem materiam universam eidem subrogavit libris duobus de *processibus* deque *delictis et poenis.*

In primis igitur de personis agit: *nam,* ut ait Iustinianus Aug. (*Instit.* I, 2 § 12), *parum est ius nosse, si personae, quarum causa statutum est, ignorentur.* Et prius de omnibus personis in genere.

Can. 87.

Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis, nisi, ad iura quod attinet, obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura.

1. Quidquid lex, uti capax habet iurium atque obligationum, in iure persona dicitur. Nimirum, quamvis nonnisi homo obligationum et iurium proprie sit capax, tamen, publicae utilitatis causa, per fictionem

iuris et hominum coetibus et rebus etiam omnino fictitiis iurium atque obligationum capacitas a iure tribuitur. Hinc distinctio inter personam *physicam,* idest singularem hominem, ac personam iuridicam seu *moralem,* idest quidquid, praeter hominem singularem, personalitate gaudet, veluti societas commercialis aut fiscus. Unde Legislator prius agit de physicis personis, nempe de earum constitutione, aetate, sede, cognatione, ritu.

2. *Baptismate* igitur *homo constituitur in Ecclesia Christi persona.* Scilicet, dum ex iure naturali statim ac homo natus est, persona est; ex iure autem civili, nostrae quoque aetatis, etiam cum *in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus quaeritur* (fr. 7 D. I, 5); contra, nonnisi baptismate in Ecclesia Christi persona quis constituitur. Quare? Sane quia, cum Ecclesia societas sit supernaturalis, uti quis eidem adnumeretur, actus adrogatorius et ipse supernaturalis intercedere debet, idque fit per baptisma: nam, *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non introibit in regnum coelorum* (Ioan. III, 5).

3. Baptisma autem triplex: *aquae, flaminis, sanguinis.* Et illud quidem, aquae lotione; istud, baptismatis, quod suscipi non potest, explicito aut implicito desiderio cum perfecta charitate coniuncto; hoc, martyrio consistit. Canon loquitur de primo genere tantum: *alia enim duo,* ait Aquinas (*Summa theol.* p. III q. 66 a. 11 ad II), *conveniunt cum baptismo aquae, non quidem quantum ad rationem signi* (quae ratio ad sacramentorum essentiam pertinet), *sed quantum ad effectum baptismatis: et ideo non sunt sacramenta,* atque in tantum valent, in quantum, morte interveniente, aquae baptisma suscipi non potest; persona autem physica ecclesiastica sine sacramento, et quidem ab Ecclesia ipsa eiusve nomine collato, non constituitur. Tamen, quia *quantum ad effectum* supernaturalem cum aquae baptismate conveniunt, ideo et sanguine baptizatis cum Christo in coelo regnantibus martyrum cultum, et baptizatis mystice ex desiderio et charitate perfecta fidelium funera Ecclesia decernit. Ad rem D. Ambrosius (*de obitu Valentiniani Aug.,* qui catechumenus interfectus fuerat): *Quem regeneraturus eram amisi; veruntamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.*

4. At iura acquiri non possunt nisi volentibus, eodemque modo obligationes acceptari; ideoque nonnisi voluntarie potest quis persona in Ecclesia fieri. Et revera baptisma, sicut et cetera sacramenta, invalide recipitur, nisi voluntarie recipiatur. Quod planum est in adultis. Sed quid de infantibus? *Pueri,* ait Aquinas (*Summa theol.* p. III q. 68 a. 10), *secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quandiu ipsi sibi providere non possunt. Et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur, sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus.* Et subdit (ibid. a. 9 ad I): *Pueri nondum*

habentes usum rationis... possunt dici intendentes (idest baptisma voluntarie acceptantes), *non per actum propriae intentionis, sed per actum eorum, a quibus offeruntur.* Nimirum infantes, iure tum civili tum naturali, in tutela sunt: et in primis parentum. Est autem tutela, ut Servio placet (fr. 1 D. XXVI, 1), *vis ac potestas... ad tuendum eum, qui propter aetatem sua sponte se defendere nequit, iure civili data ac permissa.* Is vero recte *tueri* dicitur, qui quidquid filiorum pupillorumve saluti profuturum est (et baptisma primum locum tenet), id agere non neglexerit. Quare graviter suo muneri deficiunt parentes, qui filiorum baptisma notabiliter differunt. Neque dici potest, non posse parentes filios infantes obligare, cum, contra, universum ius iisdem facultatem tribuat, filiorum personam sustinendi. Unde nihil mirum, si infantes *in fide parentum* baptizentur, hisque deficientibus vel etiam, cum puer versatur in vitae discrimine, contradicentibus, *in fide Ecclesiae* (cfr. can. 750).

5. *Cum omnibus christianorum iuribus et officiis.* — Idest, sine baptismate, nullum in Ecclesia, ex iure mere ecclesiastico, ius, obligatio nulla; quare D. Paulus (I *ad Corinth.* V, 12-13): *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare? Nam eos Deus iudicabit.* Proinde, qui baptismate sunt expertes, velut infideles et cathecumeni, cum personalitate in Ecclesia non gaudeant, nulla lege mere ecclesiastica, sive favorabili sive onerosa, tenentur, nisi et materia patiatur et voluntarie sese obligaverint: tum vero non legis ecclesiasticae virtus tenet, sed vis naturalis iuris, pactorum fidem urgentis. Hinc praeterea omnes baptizati, quicumque sit eorum status personalis, per se legibus, quae eos respiciunt, universis subsunt, quamvis ab Ecclesia defecerint, puta per schisma, haeresim, apostasiam: *nemo* enim *ex suo delicto meliorem suam condicionem facere potest* (fr. 134 D. L, 17).

6. Inde sequitur: *Nisi, ad iura quod attinet, obstet obex.* Obex est quidquid obiicitur et opponitur ad impediendum vel claudendum: unde Virgilius (*Georg.* II, 480):

qua vi maria alta tumescant
obicibus ruptis.

Codex vero hac voce sensu translato utitur; nempe loquitur de obice *ecclesiasticae communionis vinculum impediente,* ita scilicet, ut cum ceteris ecclesiasticis personis communicare non sinat. Siquidem, *haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum* (can. 1258 § 1) et vicissim haereticis, schismaticis, apostatis ius interdicitur in electionibus suffragium ferendi (can. 167), Ecclesiae sacramenta recipiendi (can. 731 § 2), patrini munus agendi (can. 765 § 2 et 795 § 2), ordines sacros suscipiendi (can. 985 n. 1), iuspatronatus exercendi (can. 1453 § 1 et 1470 § 1 n. 6), sepultura ecclesiastica fruendi (can. 1240 § 1 n. 1), etc. Itaque obex est haeresis,

schisma, apostasia a fide; quo extante obice, quamvis quis sit, ex valide recepto baptismate, in Ecclesia Christi persona, tamen, *nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliatus fuerit* (can. 731 § 2), cum fidelibus eidem *communio interdicitur,* idque *ne fides aut amitti aut periclitari intelligatur* (S. C. S. Off. instr. 22 iun. 1859).

7. *Vel lata ab Ecclesia censura.* — Obex interdum obstat, quin obstet censura: ita qui in haeresi aut schismate natus est ac bona fide vivit, quamvis valide baptizatus, excommunicationi non subiicitur (cfr. can. 2314 § 1 n. 1 et 1325 § 2); interdum etiam censura obstat, quin obstet obex, idque planum est: his de causis Legislator et de obice et de censura distinctim loquitur. Iamvero, cum censura obstat, idest vel excommunicatio, vel suspensio, vel interdictum, personarum ecclesiasticarum iura plus minusve intercipiuntur. Ita ex. c. excommunicatus vitandus iure caret cum fidelibus communicandi tum in sacris (praedicatione verbi Dei excepta — can. 2259), tum etiam, nisi rationabilis causa excuset, in profanis (can. 2267); contra, toleratus eodem iure caret in sacris tantum.

8. Homo igitur per baptisma constituitur in Ecclesia persona. Haec personalitas ecclesiastica (sicut et civilis) aut plena esse potest aut minus plena. Plena est, cum, nullo obice, nulla censura obstante, deminuta non est; minus plena est, cum, propter obstantem obicem vel censuram, plus minusve ita deminuitur, ut vel ex parte vel fere ex toto iis iuribus careat, quibus alias gaudere debuisset.

Can. 88.

§ 1. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra hanc aetatem minor.

§ 2. Minor, si masculus, censetur pubes a decimoquarto, si femina, a duodecimo anno completo.

§ 3. Impubes, ante plenum septennium, dicitur infans seu puer vel parvulus et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur. Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti.

1. Postquam definivit quemadmodum persona physica ecclesiastica constituatur, Legislator de eiusdem statu personali in genere agere instituit. Est autem status personalis, ut Heineccio placet (*Elem. iur. civ.*, § 76), *qualitas, cuius ratione homines diverso iure utuntur.* Et primum personae physicae ecclesiasticae utuntur diverso iure ratione aetatis: omnibus quippe perspectum est, non omnem aetatem ad iura exercenda atque officia obeunda, vel saltem non eodem modo esse aptam. Quamvis igitur, inde a vitae primordiis, homo esse possit in Ecclesia

persona, tamen ius nostrum, lege naturali innixum ac romani iuris placita fere omnino complectens, humanam vitam ratione aetatis in partes dividit.

2. Itaque *persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est*, — videlicet anno vigesimo secundo incipiente, post mediam noctem eius diei, qui, in mense eiusdem nominis, eodem ac dies natalis numero significatur (cfr. can. 34 § 3 n. 3): ita ut, si die 24 aprilis a. 1880 natus fuerim, cum die 25 aprilis a. 1901 maior esse incipiam. Et hac in re, nempe in maioritate personarum definienda, ius nostrum cum romano iure non convenit: etenim apud Romanos maioritas, seu *legitima aetas* quae vocabatur, post vigesimum quintum aetatis annum incipiebat; ex adverso convenit saepe cum iure civili nostri temporis (1). Est autem huiusmodi aetatis definitio iure positivo introducta opportunitatis causa. Infra hanc aetatem persona physica ecclesiastica minor est, sicut persona maior, quae sexagesimum aetatis annum ingressa fuerit, *senex* dicitur.

3. Minor vero aetas subdividitur in partes duas, quae aequales sunt in masculo, inaequales in femina: nam, *si masculus, minor censetur pubes a decimoquarto, si femina, a duodecimo anno completo.* Et haec vetustissima partitio naturali facto pubertatis innititur, originemque repetit a primordiis romani iuris, quo etiam vita hominis, pubertate interiecta, duabus aetatibus, idest *prima* ac *secunda aetate*, constare dicebatur; unde Iustinianus Aug. (l. 30 C. I, 4): *Sancimus in curationibus minorum, sive primae sive secundae aetatis sunt*, etc. At quandonam persona pubes habenda est? Cum omnibus certum idemque tempus constitui naturaliter non possit, cumque positivum ius alienum sit a rebus incertis, et hac in re praesumptione utitur.

4. *Impubes, ante plenum septennium dicitur infans.* — Scilicet aetas impuberum iterum subdividitur, eiusque prima pars, quae usque ad initum octavum vitae annum pertingit, infantia vocatur. Si vim nominis spectemus, romano iure is infans dicebatur, qui fari non poterat, qui nempe ex deficiente usu rationis, suis iuribus coram magistratu per conceptas formulas tuendis, impar habebatur; nobis vero is est, qui rationis usum aut nullum habet aut non satis expeditum: idque, ne in incertum feramur, usque ad octavum aetatis annum contingere censetur. Antea, impuberem perinde habemus ac non sui compotem: quare

---

(1) Iure civili maioritas personarum non eodem tempore statuitur apud varias Nationes. Ita ex. c. Codex civ. ital. (art. 323): *La majorité est fixée à vingt-un ans accomplis.* Idemque habent: Codex civ. gallicus (art. 488), hispaniensis (art. 320), hollandicus (art. 385), germanicus (§ 1), lusitanus (art. 311) etc. Contra, c. ex. Codex cilenus (art. 26): *On appelle majeur celui qui a accompli sa vingt cinquième année.* Rursus, iuxta Codicem austriacum maior est, qui 24 aetatis annum compleverit.

neque legibus mere ecclesiasticis tenetur, neque datur probatio contraria in favorem legis, sed solummodo, si, de facto, sufficienti usu rationis non gaudeat (cfr. can. 12), in favorem libertatis. Rursus impuberem distinguimus in *infantiae* vel *pubertati proximum,* prout magis pubertati vel infantiae eius aetas accedit.

5. *Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti.* — Aliis verbis, qui habitu destituti sunt usu rationis, quandiu perduraverit eiusmodi conditio, etiamsi interdum lucidis quibusdam intervallis fruantur, nihilominus in iure semper et absque ulla intercapedine velut non sui compotes censentur. Ideoque, ex. c. habitualiter amentes semper praesumuntur delicti incapaces (can. 2201 § 2). Videndum est igitur quinam usu rationis habitu destitutis adscribendi sint. Nimirum, potest quis usu rationis aut *habitu* aut *actu* destitui; rursus, destitui *ex toto* vel *ex parte*: canon vero loquitur de iis, qui destituuntur ex toto, nam qui ex parte, infantibus non assimilantur. Itaque actu destituuntur dormientes, ebrii atque etiam vehementi animi affectu concitati qui sunt (cfr. can. 2201 § 1 et 3). Et hos, quia infantibus non assimilantur, praetermittimus. Sunt autem habitu destituti usu rationis: a). qui huiusmodi usu carent, idest mente capti (amentes, dementes seu monomaniaci, furiosi vel quovis alio nomine appellentur); b). qui rationis usum habent quidem, sed propter impedimentum exercere non possunt, veluti qui surdi, muti ac coeci simul sunt a nativitate vel a prima infantia. Hi omnes infantium iure censentur.

Can. 89.

Persona maior plenum habet suorum iurium exercitium; minor in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum obnoxia manet, iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet.

1. In canone Legislator definit, quo iure maior ac minor aetas, qua talis, utatur. Nempe *persona maior plenum habet suorum iurium exercitium.* Tum iura sua quis plene exercet, cum libere sive per se sive per alios exercere potest; et hoc modo agit persona maior. Contra, persona *minor potestati parentum vel tutorum obnoxia manet,* et nonnisi per eos, vel saltem eorum permissu contrahit, agit, respondet. Quare ex. c. eius loco parentes aut tutores iuspatronatus exercent (can. 1456) ac generaliter in iudicio agunt atque respondent (can. 1648 § 1).

2. *Iis exceptis, in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet.* — Quandoque enim ius nostrum (sicut et ius civile a nostro saepe receptum), cum id tum minorum tum publica utilitas expostulet, eosdem a patria potestate habet exemptos. Ita minor infantia egressus, quasi-domicilium proprium obtinere potest (can. 93 § 2); si de

facto usum rationis assecutus sit, in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis, agere et respondere potest per tutorem ab Ordinario datum, vel etiam a se, Ordinarii auctoritate, constitutum sine patris vel tutoris consensu (can. 1648 § 3): si vero quartumdecimum aetatis annum expleverit, etiam per seipsum (ibid.); item minor pubes, in ecclesia funeris ac sepultura sibi eligenda, est a patria potestate immunis (can. 1223 § 2); eodemque modo post completum decimumsextum, si masculus, vel decimumquartum aetatis annum, si femina, loci Ordinario id permittente, insciis aut etiam invitis parentibus, matrimonium contrahere potest (can. 1034).

3. Modo videamus, inverso ordine, quo iure personae physicae ecclesiasticae regantur, habita ratione aetatis. — a) Et in primis *senilis* persona cunctis legibus mere ecclesiasticis tenetur, ieiunii lege excepta (can. 1254 § 2). — b) Contra, persona *maior* ante senilem aetatem omnibus prorsus legibus tenetur. Quoad iura vero, nisi 40 aetatis annum expleverit, iure communi inhabilis est ad munus supremi Moderatoris cuiusvis religionis atque Antistitae monasterii (can. 504) et in confessarium religiosarum regulariter deputari non debet (can. 524 § 1). Nisi expleverit 35 aetatis annum, non debet magister novitiorum renunciari (can. 559 § 1). Nisi vero 30 expleverit, eiusdem magistri socius (ibid. § 2) aut officialis vel vice-officialis tribunalium esse vetatur (can. 1573 § 4), estque inhabilis ad munus Superioris maioris in religione (can. 504) ac Vicarii Capitularis (can. 434 § 1), sicut etiam ante hanc aetatem neque ad canonici poenitentiarii (can. 399 § 1) aut Vicarii Generalis munus (can. 367 § 1), neque ad episcopatum quis habetur idoneus (can. 331 § 1 n. 2). Item, ante completum 24 aetatis annum s. presbyteratus ordo non est conferendus ac ante 22 diaconatus (can. 975); tum vero ad subdiaconatum (ibid), tum ad validitatem perpetuae professionis religiosae (can. 573) aetas maior requiritur. — c). Deinde persona *minor*, infantia egressa, legibus mere ecclesiasticis et ipsa tenetur: tamen cum exceptionibus quibusdam sive quoad officia sive quoad iura. Quare minor a lege ieiunii ecclesiastici exemptus est (can. 1254 § 2); graviter laesus, habet remedium extraordinarium restitutionis in integrum (can. 1687 § 1); instantia adversus eum perempta, ius habet regressus ad indemnitatem contra tutores culpa non carentes (can. 1737); in iudicio semper habere debet defensorem, saltem ex officio (can. 1655 § 2); minor aetas minuit delicti imputabilitatem (can. 2204) eiusque proinde ratio haberi debet in poenis decernendis (can. 2218 § 1); ante 16 aetatis annum completum, invalide religiosam professionem temporariam emittit (can. 573) ac, si masculus, invalide matrimonium contrahit, sicut etiam ante annum 14, si femina (can. 1067 § 1); qui eandem, idest 14 annorum, aetatem non attigerit regulariter a munere patrini repellitur (can. 766 et 796 n. 3); ante pubertatem vero, minorum

obligatio communionis eucharisticae sumendae, in eos quoque et praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent (can. 860); nequeunt in electionibus suffragium ferre (can. 167 § 1 n. 2) aut testimonium in iudicio (can. 1757 § 1); ab officio peritorum repelluntur (can. 1795 § 2), a poenis latae sententiae excusantur (can. 2230), neque possunt sibi eligere sepulturam (can. 1224 n. 1). — d). Tandem *infantes* nulla lege mere ecclesiastica tenentur, ea excepta, qua confessio (can. 906) ac Paschalis communio (can. 859) praescribitur fidelibus cunctis, qui ad rationis usum pervenerint, nempe ad ea suscipienda sacramenta sufficientem; verum, tenentur iure divino, tum naturali, tum, in quantum noverint eorumque aetati aptari potest, positivo. Praeterea, quatenus commode fieri potest, speciales ac ab aliis separatos loculos et sepulturas in christianis coemeteriis habere debent. (can. 1209 § 3).

Can. 90.

§ 1. Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo, cum filius natus est, domicilium, aut, in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.

§ 2. Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsemet nativitatis locus; si de exposito, est locus in quo inventus fuit.

1. Postquam personas ecclesiasticas consideravit ratione temporis, Legislator easdem considerat ratione loci loquiturque de sede personarum, cum et haec non parum conferat earum statui constituendo. Et ante omnia de loco originis.

2. Locus originis a Legislatore ipso definitur ceu *ille in quo, cum filius natus est, domicilium, aut, in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.* Is neophytus dicitur qui adultus baptizatur; illegitimus, qui ex iusto matrimonio, saltem putativo (cfr. can. 1114) natus non est; postumus, qui natus est post matrimonium dissolutum per mortem patris aut, si de putativo agatur, post eius discessionem (ibid.). Et definitio est clara. Scilicet agitur de loco originis iuridice definiendo: locus autem, qua talis, nihil habet ad ius, nisi persona sit ei per domicilium aut quasi-domicilium iuridice devicta; proinde, cum quaeri non possit de domicilio neonati infantis, de domicilio parentum quaeritur, nisi parentes ignorentur aut domicilio careant. Unde primum ratio habetur patris: eius, inquam, quem iustae nuptiae demonstrant (cfr. can. 1115 § 1), cum vivit; si vero obierit, aut si iustae nuptiae desiderentur, ratio matris habetur; quae, si maior, optimo iure domicilium acquirit: si minor, quasi-domicilium (can. 93 § 2). Non igitur is est locus originis, ubi (ex. c. in itinere) filius natus est, sed ubi pater vel mater domicilium aut quasi-

domicilium habebant. Idque etiam statuitur de neophyto, secus ac iure, quo utebamur ante promulgationem Codicis: tum enim locus originis censebatur et ille, *in quo quis baptizatur adultus* (cfr. D'Annibale, *Summula*, vol. I n. 82).

3. Quod *si agatur de filio vagorum*, quibus nullum est domicilium aut quasi-domicilium (can. 91), tunc necessario *locus originis est ipsemet nativitatis locus; si* vero *de exposito,* cuius parentes ignorantur, *locus in quo inventus fuit.* Et haec plana. Si vero quacumque de causa locus originis definiri non possit, ibi videtur praesumi oportere, quo filius est baptizatus. At potestne locus originis esse multiplex? Et videtur posse; quamvis enim conceptus originis videatur natura sua obstare pluralitati, in iure tamen distinguenda est origo, quae oritur ex domicilio aut quasi-domicilio parentum, ab origine, quae alio modo oritur: ibi, cum plura esse possint parentibus domicilia aut quasi-domicilia, et iuridicae originis loci plures esse possunt, ita, ut nisi ius particulare aliter caveat, optio dari videatur; hic, cum habenda non sit ratio domiciliorum, oportet unus sit originis locus.

4. Iure romano, *origo cives faciebat* (l. 7. C. X, 39); iure nostro nihil aliud iam praestat, nisi titulum legitimum ac perpetuum, ut quis habeatur subditus alicuius Episcopi quoad ordines sacros recipiendos (cfr. constit. Innocentii Pp. XII *Speculatores*, 5 nov. 1694). Sed neque huiusmodi titulus est plenus: nam et domicilium accedere debet, scilicet eius, qui ad ordines promovendus est, ita ut, *quod attinet ad ordinationem saecularium, Episcopus proprius sit tantum Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium una cum origine* (can. 956); imo vero, si adsit animus iuramento firmatus, in dioecesi perpetuo manendi, domicilium sine origine sufficere possit (ibid.), dum, contra, origo sine domicilio minime sufficit. Haec regulariter et si ordinandus sit saecularis: religiosi diverso iure reguntur (cfr. can. 964 n. 4).

CAN. 91.

Persona dicitur: «incola», in loco ubi domicilium; «advena», in loco ubi quasi-domicilium habet; «peregrinus», si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet; «vagus»; si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium.

Est canon, qui verba quaedam authentice interpretatur. Quare hoc unum animadvertendum videtur: posse eandem personam, ut infra (cfr. c. ad can. 95) demonstrabimus, uno tempore et diversis in locis simul esse incolam, advenam, peregrinum; sicut etiam pluries incolam aut advenam esse.

Can. 92.

§. 1. *Domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum.*

§ 2. *Quasi-domicilium acquiritur commoratione uti supra, quae vel coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad maiorem anni partem.*

§. 3. *Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi-paroecia dicitur «paroeciale»; in diocesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel quasi-paroecia, «diocesanum».*

1. Cum Principum ecclesiasticorum iurisdictio plerumque sit territorialis, ideoque personas afficere non possit nisi per territorium, modum statuere oportebat, quo eaedem personae territorio devincerentur. Et hac de causa institutum iuridicum domicilii introductum est, quo persona territorio quodammodo adstringitur et per territorium iurisdictioni territoriali subiicitur. Itaque, cum domicilium et ipsum haud parum conferat statui personarum, hoc loco de eo Legislatori erat agendum, idque facit quatuor canonibus, qui sequuntur.

2. Domicilium (a *domus* et *cieo*) est locus, qui uti propria domus cietur, idest vocatur; et significat vulgo domum, domesticam sedem, habitationem certam atque diuturnam. Unde Iustinianus Aug. (l. 7 C. X, 40): *Incolas domicilium facit. Et in eo demum loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum profectus est, peregrinari videtur; quo si rediit, peregrinari iam destitit.* Est igitur domicilium (1) ordinaria sedes personarum, sive vera (cum persona de facto in ea residet) sive fictitia (cum in ea de facto non residet, sed postquam electa fuerit residere praesumitur). Est autem domicilium aut *necessarium* (seu legale) aut *voluntarium* (seu proprium): illud ex iure, hoc sponte acquiritur. Potest autem domicilium voluntarium aut *expresse* aut *tacite* acquiri: expresse acquiritur per expressam declarationem voluntatis; tacite acquiritur, cum eadem voluntas acquirendi per factum manifestatur. Ad rem Ulpianus (fr. 27 D. L, 1): *Si quis negotia sua non in colonia, sed in municipio semper agit; in illo vendit, emit, contrahit; eo in foro spectaculis, balineo utitur; ibi*

(1) Iure civili variis modis domicilium concipitur. Ita Codex civilis italicus (art. 16) cavet, domicilium civile personarum eo esse in loco, ubi quis habet principaliorem sedem negotiorum rerumque suarum. Ex adverso Codex lusitanus (art. 41): *Le domicile de chaque citoyen est au lieu, ou il a sa résidence permanente.*

festos dies celebrat; omnibus denique municipii commodis, nullis colonia-rum fruitur: videtur ibi magis habere domicilium, quam ubi colendi causa diversatur. Quare *probatur domicilium, non solum ex animo habitandi et permanendi, verum fortius ex transportatione familiae et mobilium* S. Rota, in *Recentior.* decis. 188 n. 1 et 2 p. 2); *et ibi domicilium praesumitur, ubi adsunt domus et bona* (ibid. decis. 37 n. 11 et 12 p. 15).

3. Iamvero, sive expresse sive tacite, *domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica.* — Quasi-paroeciae dicuntur *partes vicariatus apostolici ac praefecturae apostolicae, si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus* (can. 216 § 3) ac reperiuntur in locis, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat, quaeque Congregationi de Propaganda Fide subduntur. Quare etiam, analogiae causa, vicariatus ac praefecturas apostolicas quasi-dioeceses deinceps nominabimus. Quemadmodum igitur in possessione, ita et in domicilio acquirendo in primis *corpore* opus est, videlicet corporali in loco residentia: sed haec, secus ac in possessione, si *sit protracta ad decennium completum*, sufficit ad acquisitionem domicilii, idest, decennio elapso, facto ipso domicilium acquiritur *absque ulla animi declaratione* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 172 n. 3 p. 8). Idque contingit, quamvis commoratio saepe fuerit intermissa: sufficit enim ea sit in loco commoratio, qua quis, *inde cum profectus sit, peregrinari videatur, quo si redeat peregrinari iam destiterit* (l. 7 C. X, 40); ea nempe commoratio, qua quis dici possit in loco habitare. Estque hic primus modus domicilium acquirendi. Sed est et alter: si nempe corporalis in loco residentia *coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi*; et tunc statim ac animus eiusmodi expresse aut tacite manifestus fit, domicilium acquiritur. Proinde *domicilium dicitur contractum ex declaratione facta illud contrahendi iuncto actu migrationis* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 642 n. 13 p. 1 et alibi) vel *ex actibus subsecutis, ex quibus facile animus desumitur* (ibid. decis. 473 n. 5 et 6 p. 4 t. I). Tamen *domicilii proprii* (et praesertim originis) *mutatio non praesumitur* (ibid. n. 2), nec *dicitur quis mutare domicilium, si alibi se transfert occasione studiorum, mercaturae, litis, aut melioris educationis et huiusmodi* (ibid. decis. 589 n. 11 p. 5 t. II et alibi). — *Si nihil inde avocet*: nempe sufficit voluntas conditionata, dummodo conditio generica sit aut, si determinata, ita sit necessaria vel impossibilis, uti pro non adiecta habeatur: vera enim conditio animum suspendit.

4. Hactenus de domicilio acquirendo. Sed praeterea iure nostro quasi-domicilium introductum est, ne persona ecclesiastica, extra domicilium commorans aut domicilii expers, Ordinario ac parocho proprio diutius careret. Modo igitur de quasi-domicilii acquisitione Legislator loquitur. Nimirum, quasi-domicilium, quod semper est voluntarium, iisdem omnino modis, quibus domicilium acquiri potest. Haec tantum

interest differentia: loco animi perpetuo manendi, sufficit animus manendi, si nihil inde avocet, per maiorem anni partem; loco vero corporalis residentiae per decem annos, sufficit residentia ad maiorem partem anni unius protracta. Quod si quis per mensem in loco commoratus fuerit, voluntas ibidem per semestre manendi iure praesumitur (Benedictus Pp. XIV, ep. *Paucis abhinc*, 4).

5. Sequitur: *Domicilium in paroecia vel quasi-paroecia dicitur paroeciale.* — Potest enim domicilium et quasi-domicilium esse *paroeciale* aut *dioecesanum*: paroeciale est, quod in paroecia aut quasi-paroecia acquiritur; diocesanum est, quod acquiritur in dioecesi aut quasi-dioecesi, cum nempe persona per dioecesim aut quasi-dioecesim continenter vagatur, per annos decem aut per maiorem anni unius partem, et ideo domicilium aut quasi-domicilium paroeciale acquirere non potest. Idque post promulgationem Codicis, nam antea domicilium dioecesanum, non admittebatur (cfr. D'Annibale, *Summula*, pars I n. 83, nota 8).

Can. 93.

§ 1. *Uxor, a viro legitime non separata, necessario, retinet domicilium viri sui; amens, domicilium curatoris; minor, domicilium illius cuius potestati subiicitur.*

§ 2. *Minor infantia egressus potest quasi-domicilium proprium obtinere; item uxor a viro legitime non separata, legitime autem separata etiam domicilium.*

1. Aetas pupillaris, mentis infirmitas, itemque mulieris nuptae conditio (cum nempe et matrimonium *individuam vitae consuetudinem* secumferat — § 1 *Instit.* I, 9 — et mulieris matrimonio iunctae *caput vir sit* — I *ad Corinth.* XI, 3) personam sui iuris esse non sinunt. Unde personae huiusmodi, domicilium proprium habere non possunt.

2. Quare: *Uxor, a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui* — Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset (can. 1128). Quod, si iusta causa excuset, uxor a viro legitime separata dicitur (can. 1131 § 1), sive id fiat auctoritate Ordinarii sive propria, dummodo de causa discedendi certo constet (ibid.). Proinde, donec communionem vitae coniugalis servaverit, aut etiam si illegitime solverit (ius enim id quod solvi non debuerat, insolutum censet), nunquam potest domicilium voluntarium acquirere ideoque uti cogitur domicilio viri; si vero legitime communionem solverit, cum et facto et iure tunc, vinculo manente, nulla extet individuae vitae consuetudo viroque subiectio, uxor innuptae acquiparatur, fitque proprii domicilii capax.

3. Sequitur: *Amens domicilium curatoris; minor, illius cuius potestati subiicitur.* — Amenti, sicut et ventri, iacenti hereditati, absenti, minori

emancipato, iure civili curator datur, qui et iure nostro hic explicite recognoscitur, quique, intercedente consensu Ordinarii eius, cuius bona administrat, admittitur etiam a iudice ecclesiastico in causis forensibus (can. 1651 § 1). Curator amentis personam gerit, eiusque domicilium amens participat: eodemque modo minor, domicilium parentis vel tutoris.

4. Quid vero si curator, parens aut tutor, vel maritus domicilio careant aut plura habeant? Si plura, et domicilia necessaria inde consequentia plura sunt; si domicilium nullum, omnes, qui hac in re sui iuris non sunt, domicilio destituuntur. Non tamen quasi-domicilio, nam *minor infantia egressus potest quasi-domicilium proprium obtinere, itemque uxor a viro legitime non separata.* Contra, infans atque amens, qui infanti assimilatur (can. 88 § 3), quasi-domicilio proprio acquirendo interdicuntur: alii omnes, qui ceterum soli iurium et obligationum ex quasi-domicilio profluentibus capaces sunt, proprium quasi-domicilium obtinere possunt. Haec ratio, cur quasi-domicilium necessarium seu legale non datur.

5. Hinc etiam liquet, quae sit conditio religiosorum. Hi namque, cum intra limites religiosae professionis, voluntate destituantur, neque habere possunt iure communi domicilium aut quasi-domicilium voluntarium, et ideo hac in re infantibus aequiparantur ac semper utuntur domicilio et quasi-domicilio necessario. Cuiusnam? Profecto religionis: et revera tum religio quaelibet, tum provincia, tum religiosa domus iuridica personalitate fruuntur; religiosi vero omnes, modo huius modo illius, pro iurium atque obligationum varietate, nomine agunt. Iamvero, cum domicilium sine definito territorio non intelligatur, cumque religio, qua talis, nulli certo territorio adstringatur, verum, sicut et provincia, ibi adsit, ubi extat religiosa domus, haec est necessarii domicilii et quasi-domicilii religiosorum fundamentum: haec, quae religiosos territorio devincit. Fit autem quis religiosus per professionem: quare novitii, qui in favorabilibus religiosorum iure, hac tamen in re censentur iure laicorum.

Can. 94.

§ 1. *Sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.*

§ 2. *Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.*

§ 3. *Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur.*

1. Hactenus de acquisitione domicilii et quasi-domicilii sive necessarii sive voluntarii; modo de huius acquisitionis effectibus. Supra

diximus iura atque obligationes natura sua saepe esse territorialia (cfr. c. ad can. 92 n. 1), nempe, quae per territorium prosint atque teneant: ideoque nonnisi eos tenere possunt iisve prodesse, qui per domicilium, veluti si de sacra ordinatione agatur (can. 956), aut quasi-domicilium, veluti si agatur de iure particulari (can. 13 § 5), territorio devincti sunt. Huiusmodi autem iura atque obligationes aut personas respiciunt aut res; quae rursus aut pacificae sunt aut controversae. Hinc ex. c. obligatio Ordinario territoriali eiusque legibus particularibus parendi, ius sacramenta recipiendi et quod sibi debetur in iudicio persequendi.

2. Nimirum, *sive per domicilium sive per quasi-domicilium, suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.* — Canon loquitur de Ordinario, cuius iurisdictio est territorialis, nam si iurisdictio personalis fuerit, veluti ex. c. in Ordinariis religiosorum ratione voti, nullo territorio finitur. *In iure autem nomine Ordinarii* (territorialis) *intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus « nullius » eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine* (can. 198 § 1). Iamvero Ordinarius iurisdictioni praeest, estque in territorio legislator; praeterea quorundam sacramentorum minister exclusivus aut ordinarius; denique subditorum iudex, sive per se ius dicat, sive per tribunal aut delegatum a se constitutum. Qua legislator est, generaliter ii omnes, qui in territorio eius potestati subiecto *domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur* (can. 13 § 2) eius legibus particularibus, rescriptis, privilegiis, dispensationibus subiiciuntur; qua est sacramenti confirmationis minister ordinarius, vetare potest, quominus suis subditis alius Ordinarius idem sacramentum ministret (can. 783); qua est, si Episcopus, omnium, si non Episcopus, quorundam sacrorum ordinum minister exclusivus, unusquisque a proprio Ordinario ordinandus est aut, si ab alio, *cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis* (can. 955 § 1); denique, qua iudex est, ratione domicilii aut quasi-domicilii, potest quis coram Ordinario loci conveniri (can. 1561). — Parocho nulla in foro externo iurisdictio competit; ei tamen ius est paroeciae vel quasi-paroeciae fidelibus sacramenta ministrandi. Unde ipsius baptismatis sollemnis collatio, parocho regulariter, ita reservatur, ut etiam peregrinus a parocho proprio inque propria sui domicilii aut quasi-domicilii necessarii paroecia, si id facile et sine mora fieri potest, sit baptizandus (can. 738). Praeterea matrimonia, exceptis quibusdam casibus a iure taxative statutis, nisi coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato contrahantur, irrita sunt (can. 1094). Denique defunctus ex iure ordinario et nisi aliam legitime elegerit ecclesiam funeris, ad propriam paroeciam, transferri debet (can. 1216 § 1), etiamsi extra eam

mors acciderit, si tamen commode pedestri itinere asportari potest (can. 1218 § 1). Haec speciminis causa.

3. Eodemque iure tum laici, tum etiam clerici saeculares, in iis nempe quae ad alterutros spectant, reguntur; hi tamen, praeterquam Ordinario sui domicilii aut quasi-domicilii, Ordinario quoque et potissimum dioecesis, in qua sunt incardinati (cfr. can. 144), tanquam proprio parere tenentur: tanti enim ponderis est incardinatio, uti clerici, qui dioecesi aut religioni incardinati non sunt, perinde ac vagi habeantur (can. 111 § 1). Idque etiam, alia tamen ratione, et de religiosis dicendum est. Pauca hic delibare sufficiat. Nimirum religio aut exempta est ab Ordinarii loci iurisdictione, aut non exempta; quod si exempta non est, aut iuris pontificii est, aut dioecesani. Religio a iurisdictione Ordinarii, et *a fortiori* parochi, exempta, in iis quae Ordinarii territorialis subditos non tangunt, Ordinariis suis utitur, excepta sacra ordinatione (can. 965). Verum moniales exemptae, ex iure communi, in pluribus Ordinarii domicilii iurisdictioni subsunt. Religio iuris dioecesani Ordinarii loci vigilantiae, iurisdictioni nempe negativae, plene subiicitur, maxime si agatur de Congregatione muliebri. Religio iuris pontificii inter utramque medium locum tenet. Tamen in utraque domus Superior, aut confessarius si agatur de Congregatione muliebri, parochi vicem gerit.

4. Vagorum autem, qui nec domicilium nec quasi-domicilium habent, *proprius parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.* Idque fictione iuris statuitur necessitatis causa: alias proprio parocho atque Ordinario careret. Sequitur: *Illorum quoque, qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium, parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur.* Quod etiam necessitatis causa statutum est, ne personae huiusmodi proprio parocho destituerentur. His igitur legibus cuique personarum generi a Legislatore consulitur, eorumque domicilium et quasi-domicilium, aut vere aut fictione iuris definitur.

Can. 95.

Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 93.

1. Acquisitum domicilium et quasi-domicilium sive necessarium sive voluntarium amitti potest: necessarium quidem, cum ratio cessat, quare a iure constitutum est, veluti si uxor quovis modo a viro legitime seiungatur, aut, amente ad mentem reverso, cessaverit curatoris munus, aut minor maioritatem attigerit; voluntarium vero cessat prout hoc ipso canone statuitur.

2. Scilicet cessat, *discessione a loco cum animo non revertendi.* — Itaque

in domicilio aut quasi-domicilio amittendo duo requiruntur: discessio et animus nunquam redeundi. Hisce extantibus, a momento discessionis domicilium aut quasi-domicilium amittitur: et exinde incola et advena si aliud habeant, peregrini; si non habeant, vagi fiunt. Quod probe considerandum est. Etenim, dum ante promulgationem Codicis sine animo domicilium et quasi-domicilium neque acquirebatur, neque amittebatur, (cfr. D'Annibale, *Summula*, pars I n. 83), contra, iure nunc vigente, sine animo acquiri quidem potest, amitti vero non potest. Neque is, qui per nudum factum residentiae acquirit, ex eo acquirere dicitur, quod censeatur animum acquirendi facto ipso manifestasse; nam si verum est id fieri posse, verum est etiam ad novum domicilium aut quasi-domicilium acquirendum, ad normam can. 92, animum, ne implicitum quidem, nequaquam esse necessarium. Est igitur differentia inter acquisitionem et amissionem domicilii et quasi-domicilii: videlicet, sine animo vetus non amittitur et tamen novum, elapso tempore a iure statuto, acquiritur. Idque in Codicem introductum videtur opportunitatis causa, ad consulendum nostri temporis peculiaribus necessitatibus, quibus compulsi nostri homines facilius extra suum domicilium vel quasi-domicilium diu commorantur.

3. Sequitur: *Salvo praescripto can. 93.* — Canon 93 loquitur de domicilio necessario, quibusdam personis assignato per dispositionem iuris, quodque proinde nonnisi eiusdem iuris dispositione amitti potest (cfr. c. h. c. n. 1). Huiusmodi igitur personae praescripto huius canonis 95 non comprehenduntur, nisi quoad quasi-domicilium voluntarium, quod tum minor infantia egressus, tum uxor quoque a viro legitime non separata obtinere possunt. Contra, uxor a viro legitime separata huic canoni plene subiicitur.

4. Ex sententia canonis huius ac can. 92 consequitur, posse personam ecclesiasticam plura simul domicilia et quasi-domicilia obtinere etiam ex eo, quod alterum habere potest sine amissione prioris. Etenim ex can. 92 post decennalem commorationem domicilium ipso facto acquiritur, quamvis desit animus perpetuo manendi et consequenter ad vetus domicilium non revertendi; eodemque modo post semestrem commorationem quasi-domicilium. Cum autem, ex hoc can. 95, domicilium et quasi-domicilium sine animo non revertendi non amittatur, patet, etiam hac de causa plura dari posse domicilia aut quasi-domicilia in una eademque persona. Scilicet, ut gradatim procedamus, haec contingere possunt: 1°) ut habeat quis unum aut plura quasi-domicilia tantum; 2°) ut habeat unum aut plura domicilia; 3°) ut domicilium unum uni quasi-domicilio cumulaverit; 4°) ut cumulaverit domicilium unum pluribus quasi-domiciliis aut vicissim; 5°) denique, ut plura pluribus cumulaverit. Et hisce in casibus *illorum omnium* (domiciliorum aut quasi-domiciliorum) *statutis subiicitur* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 175 n. 20 p. 9 t. I) et *in quolibet dicitur legitime citatus* (ibid. decis, 21 n. 10 p. 18 t. I).

CAN. 96.

§ 1. *Consanguinitas computatur per lineas et gradus.*

§ 2. *In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.*

§ 3. *In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae: si duo tractus sunt inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore.*

1. Status personarum in genere pendet etiam ex vinculis, quibus inter sese forte obligantur. Haec inter eminet cognatio. *Cognati appellati sunt,* ait Ulpianus, *quasi ex uno nati aut, ut Labeo ait, quasi commune nascendi initium habuerint* (fr. 1 D. XXXVIII, 8.). Nobis cognatio triplex est: carnalis, legalis, spiritualis. Prior natura; altera iure, nempe vel canonico vel civili; tertia sacramento contrahitur, nempe baptismatis (cfr. can. 768) et confirmationis (can. 797). Cognatione spirituali ac civili, quae ex adoptione, ad suum quaeque locum remissis, agit hic Legislator de cognatione carnali, quae ex consanguinitate oritur, ac de ea, quae iam legalis et iure nostro appellari potest, seu de affinitate: cum videlicet personis ex huiusmodi cognationibus, et iura et obligationes et incapacitates haud paucae, uti postea demonstrabimus, accedant, de iis ratio hic haberi oportebat. Et primum de cognatione, quae ex consanguinitate oritur.

2. *Consanguineus* idem est ac sanguine iunctus. Ad rem Ulpianus (fr. 1 D. XXXVIII, 16): *Consanguineos autem Cassius definit eos, qui sanguine inter se connexi sunt.* Est igitur consanguinitas, naturalis qualitas personarum, quae ex naturali facto humanae generationis descendit, et ideo iustas nuptias non requirit: natura invexit, ius recognovit. Scilicet ii omnes, quibuscum est mihi communitas sanguinis, mihi consanguinei sunt: quare, cum ab iisdem parentibus ortum sit, proprie loquendo, humanum genus universum vinculo consanguinitatis constringitur. Ius tamen de proximiore tantummodo consanguinitate rationem habet. At quomodo demetienda?

3. *Consanguinitas computatur per lineas et gradus.* — Series personarum ex communi origine seu stipite profluentium *linea* dicitur, estque *recta* inter genitores ac genitos; alias, *obliqua* est seu collateralis vel transversa. Rursus, linea recta, quae genitos genitoribus, *ascendens*; quae autem genitores genitis devincit, *descendens* vocatur. Linea vero obliqua *aequalis* est, si personae, de quibus agitur, aequali gradu a communi stipite distent; alias *inaequalis.* Et hac in re ius civile, tum romanum tum nostrae aetatis, cum canonico convenit.

TABULA CONSANGUINITATIS



Titii consanguinei in schemate inscripti :

in I gr. lin. rect. asc. — *A* pater, mater (*padre, madre — père, mère*)
» » » » *obl. aeq.* — *A′* frater, soror (*fratello, sorella — frère, sœur*)
» *II* » » » *inaeq.* — *A″* nepos, neptis *ex fratre* (*nipote — neveu, nièce*)
» *III* » » » » — *A‴* pronepos, proneptis *ex fratre* (*pronipote — petit-neveu, petite-nièce*)

in II gr. lin. rect. asc. — *B* avus, avia (*avo, ava — grand-père, grande mère*)
» » » » *obl. inaeq.* — *B′* patruus, amita (*zio, zia* paterni — *oncle, tante*)
avunculus, matertera (*zio, zia* materni — *oncle, tante*)

» *III* » » » *aeq.* — *B″* consobrinus, consobrina (1): idest frater ac soror patrueles, consobrini, amitini (*cugino, cugina — cousin, cousine*)

» » » » » *inaeq.* — *B‴* consobrinorum filius, filia: idest fratris vel sororis patruelis, consobrini, consobrinae, amitini, amitinae, filius, filia (*biscugino, biscugina — petit-cousin, petite-cousine*)

in III gr. lin. rect. asc. — *C* proavus, proavia (*proavo, proava — bisaïeul, bisaïeule*)

» » » » *obl. inaeq.* — *C′* patruus magnus, amita magna (*prozio, prozia* paterni — *grand-oncle, grand' tante*) avunculus magnus, matertera magna (*prozio, prozia* materni — *grand-oncle, grande tante*)

» » » » » » — *C″* propior sobrino, sobrinae: idest, patruim., amitae m., avunculi m., materterae magnae filius, filia (*biscugino, biscugina — petit-cousin, petite-cousine*)

» » » » » *aeq.* — *C‴* patrui m., amitae m., avunculi m., materterae magnae nepos, neptis (*triscugino, triscugina — arrière-cousin, arrière-cousine*)

in I gr. lin. rect. desc. — *a* filius, filia (*figlio, figlia — fils, fille*)

» *II* » » » » — *b* nepos, neptis *ex filio* (*nipote — neveu, nièce*)

» *III* » » » » — *c* pronepos, proneptis *ex filio* (*pronipote — petit-neveu, petite-nièce*).

4. Sequitur: *In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae stipite dempto.* Ita ex. c. inter *Titium* (γ) eiusque parentes (A) aut liberos (*a*) (cfr. schema pag. 26) una est generatio ac proinde unus gradus; inter Titium eiusque proavum ac proaviam (C) aut pronepotes ac proneptes (*c*), tres generationes ideoque tres gradus consanguinitatis sunt. Et haec etiam supputatio cum civili concordat.

5. *In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis*, etc. — Ita ex. c. inter Titium (γ), consobrinos (B″) atque communem stipitem (B), nempe eorum avum et aviam, duae sunt generationes in quolibet tractu lineae, ac proinde gradus duo; contra, inter eundem Titium (γ) consobrini liberos (B‴), eundemque communem stipitem (B), in altero quidem lineae tractu duo, in altero autem tres generationes sunt, ideque et tres gradus.

---

(1) *Plerique hos omnes* (vempe pratrem oc sororem patruelem etc.) *consobrinos vocant, sicut Trebatius* (fr. 10 D. XXXVIII, 10.

Et haec consanguinitatis supputatio cum civili supputatione non congruit, idest neque Romanorum neque nostri temporis. Siquidem, ius civile consuevit gradus consanguinitatis in linea obliqua bis supputare (2), videlicet iuxta numerum generationum, quae sunt in utroque tractu lineae: ita, ut Titius, in allatis exemplis, quarto ac quinto gradu consanguinitatis iure civili consobrinis lorumve filiis obstrictus censeatur. De nominibus igitur est quaestio, non de rebus (3).

6. Haec de consanguinitate in genere. Verum, praeter consanguinitatem *legitimam* ex iustis nuptiis ac *illegitimam* ex fornicaria coniunctione, quam supra excurrendo tetigimus, consanguinitas vel *plena* est vel *minus plena*: plena est, quae ad omnes; minus plena, quae ad quasdam tantummodo pesonas ex communi stipite descendentes pertingit. Ita fratres *germani*, plena; *consanguinei* vero, qui communem patrem non matrem, ac *uterini*, qui matrem non patrem communem habent, minus plena consanguinitatis necessitudine devinciuntur. Deinde consanguinitas vel simplex est vel multiplex: de simplici huc usque disseruimus.

---

(2) Heineccius cognationum gradus, iure romano usitatos, ita recenset (*Antiquit. roman. jurisprudent. illustrant. syntagma*, lib. III tit. 6):

In linea directa superiore primo gradu erant *pater* et *mater*: secundo *avus* et *avia*: tertio *proavus* et *proavia*: quarto *abavus* et *abavia*: quinto *atavus* et *atavia*: sexto *tritavus* et *tritavia*: septimo et reliquis gradibus propria nomina deficiunt, iique communi vocabulo *majores* adpellantur: *L.* 16 §. 7. *D. h. t.* In linea inferiore primo gradu erant *filii* et *filiae*: secundo *nepotes* et *neptes*: tertio *pronepotes* et *proneptes*: quarto *abnepotes* et *abneptes*: quinto *atnepotes* et *atneptes* sexto *trinepotes* et *trineptes*: septimo gradu denuo nomina cognationum propria exspirant, et remotiores descendentes *posteri* vel *posteriores* dicuntur: *d. L.* 10. §. 7. *eod.* Denique in linea transversa numerabantur secundo gradu *fratres* et *sorores*: tertio *fratris sororisque filii* et *filiae*, *patruus*, *amita*, *avunculus* et *matertera*: quarto *fratris* et *sororum nepotes*, *neptes*, *fratres patrueles*, *sorores patrueles*, *consobrini* et *consobrinae*, *amitini* et *amitinae*, *patruus magnus* et *amita magna*, *avunculus magnus*, et *matertera magna*: quinto *fratris* et *sororis pronepotes* et *proneptes*, *fratris patruelis*, *sororis patruelis*, *amitini*, *amitinae*, *consobrinorum consobrinarumve filii*, *filiae*, *propior sobrino sobrina*, *propatruus*, *proavunculus*, *promatertera*: sexto *fratrum sororumque abnepotes* et *abneptes*, *fratris patruelis*, *sororis patruelis*, *amitini*, *amitinae*, *consobrini*, *consobrinae nepos neptis*: *patrui magni*, *amitae magnae*, *avunculi magni*, *materterae magnae nepos*, *neptis*: *propatrui*, *proamitae*, *proavunculi*, *promaterterae filii*, *filiae*, *abpatruus*, *abamita*, *abavunculus*, *abmatertera*. Reliqui gradus denuo propriis nominibus destituuntur: §. 7. *Inst. h. t.* Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 11. 1. *sq.* Consonant omnes fere nostri temporis Codices civiles.

(3) *In legibus*, ait Alexander Pp. II (c. 2 C. XXXV q. 5) *ob nihil aliud ipsa graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ad alteram ab una persona inter consanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur usque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum.*

Esse autem consanguinitatem multiplicem, triplici modo contingere potest: — 1) Ex eo, quod liberi a parentibus inter se consanguineis descendant: tum enim, quamvis non multiplicetur stipes, eiusdemque communis stipitis causa, suscepti liberi erunt simul, parentibus quidem



filii atque nepotes, inter se vero fratres ac consobrini. — 2.) Ex eo, quod liberi ex eodem patre atque ex duabus successive matribus inter se consanguineis (ex. c. sororum) geniti sint: tum stipes duplex, cum



consanguinitate coniunctus. Quare, geniti liberi erunt inter se et fratres *consanguinei* et, quia sororum filii, consobrini. — 3.) Ex eo, quod li-

beri nati fuerint ex duobus patribus (ex. c. fratribus) ac duabus matribus (ex. c. sororibus) inter se consanguineis: tum, ex duplici stipite cum



consanguinitate coniuncto, et ipsi inter se erunt simul dupliciter consobrini, quia et duorum fratrum filii et duarum sororum. Haec theorice: nam ius non omnibus his partitionibus utitur (cfr. can. 1076 § 2).

7. Vidimus quae sit natura consanguinitatis quaeque ratio, natura rerum innixa, eam demetiendi: videndum nunc est, quo iure utantur personae physicae ecclesiasticae inter se consanguineae. Et in primis irritum est matrimonium, idque naturali iure, inter personas in linea recta sive legitime sive naturaliter consanguinitate coniunctas (can. 1076 § 1; probabilius vero iure ecclesiastico inter personas, usque ad tertium gradum inclusive lineae obliquae consanguineas (ibid. § 2). Deinde consanguinei a quibusdam honoribus, officiis ac muneribus arcentur: ita iure communi arcentur a cardinalatus dignitate, qui alicui Cardinali viventi, primo aut secundo consanguinitatis gradu coniuncti sunt (can. 232 § 2 n. 3); a munere administratoris dioecesani, qui iisdem gradibus fuerint cum Ordinario consanguinei (c. 1520 § 2); ab officio Vicarii generalis, consanguineus quilibet, sed praesertim in primo et secundo gradu mixto cum primo (can. 367 § 3); regulariter ab officio peritorum apud tribunal ecclesiasticum, qui partium in causa consanguineus est in linea recta, vel in primo gradu lineae obliquae (can. 1795 § 2). Praeterea ab exercitio quorundam iurium et obligationum repelluntur aut excusantur: ita iidem, quos nuper memoravimus, incapaces sunt testimonium ferendi (can. 1757 § 3 n. 3); quilibet vero testis ab eadem obligatione eximitur, quoties ex testificatione sua, in eodem gradu consanguineis infamiam, periculosas vexationes aliave mala valde gravia

obventura timet (can. 1755 § 2 n. 2); item iudex prohibetur a causa suscipienda, in qua, ratione consanguinitatis in linea recta vel in primo et secundo gradu lineae obliquae, aliquid ipsius intersit (can. 1613 § 1), iisdemque in adiunctis, tum promotor iustitiae, tum vinculi defensor officio suo abstinere debent (ibid. § 2). Interdum etiam consanguinei utuntur favore iuris: ita, cum lis agitata fuerit inter consanguineos, potest iudex, pro suo prudenti arbitrio, ex toto vel ex parte, inter litigantes expensas compensare (can. 1911). Denique, neque bona immobilia ecclesiarum, sine speciali Ordinarii loci licentia, vendenda aut locanda sunt propriis administratoribus, eorumve coniunctis in primo aut secundo consanguinitatis gradu (can. 1540), neque consanguinei infamia delinquentis afficiuntur (can. 2293 § 4), excepto Parocho, etiam inamovibili, qui hac quoque de causa amoveri potest (can. 2147 § 2 n. 3).

Can. 97.

§ 1. *Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato sive rato et consummato.*

§ 2. *Viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos.*

§ 3. *Ita computatur, ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa.*

1. *Adfines sunt*, ait Modestinus (fr. 4 D. XXXVIII, 10), *viri et uxoris cognati* (nempe consanguinei), *dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis fines accedit.* Quare, iure civili tum Romanorum tum nostrae aetatis, affinitas, ut Cuiacio placet (*Paratitla* in libr. XXXVIII, tit. 10 Digestorum), *est ius necessitudinis contractae inter coniugem et alterius coniugis cognatos.* Iure igitur civili, radix affinitatis est contractus matrimonialis. Qui affinitatis conceptus, ante promulgationem Codicis a iure nostro longissime distabat: tum enim affinitas nobis contrahebatur ex carnali copula, ex se ad procreationem apta, utcumque illegitima. At huiusmodi conceptus, a Legislatore nostro funditus subversus est per Codicis promulgationem, publicae utilitatis causa, atque id, quod erat quoddam naturale vinculum, in vinculum mere iuridicum et legale, ad normam iuris civilis, conversum est.

2. Hinc: *Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato.* — Ratum est matrimonium baptizatorum tantum (can. 1015 § 1), et ideo lex matrimonium infidelium aut cum impedimento disparitatis cultus contractum non comprehendit, idque, quia affinitas ex iure tantummodo ecclesiastico contrahitur. Validum autem est matri-

monium, quod ad iuris normam initum est, ac proinde non contrahitur affinitas ex matrimonio invalido, quamvis putativo (cfr. can. 1515 § 4): fundamentum namque affinitatis, iure nunc vigenti, est contractus matrimonialis; at qui invalide, etsi putative contrahit, minime contrahit.

3. Sequitur: *Viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos* — Scilicet omnes et soli consanguinei viri fiunt affines mulieri, eique tantum; et vicissim, omnes



et soli consanguinei mulieris affines viro fiunt, eique tantum. Soli: quia *affinitas affinitatem non parit*; tantum: quia *affinitas non egreditur copulatos*. Ex. c. Titius (*A′*) uxorem ducit Caiam (*B′*); Titii frater (*A″*) matrimonium contrahit cum vidua (*C*), cuius filius (*g*), ex primo matrimonio susceptus, supervivit; eodemque modo Caiae soror (*B″*) nubet viduo (*D*), qui et ipse filiam (*h*) ex primo matrimonio habet. Age vero: ex matrimoniis huiusmodi, *Titius* quidem affinis fit omnibus *uxoris consanguineis* (veluti *B*, *B″* et *f*), non autem eorum coniugibus (veluti *D* et *d*), neque liberis (veluti *h*), quos iidem coniuges ex priore matrimonio susceperint; *Caia* vero affinis fit omnibus *consanguineis mariti* (puta *A*, *A″* et *e*), non autem eorum coniugibus (puta *C* et *c*), neque liberis (puta *g*), quos iidem coniuges susceperint ex praecedenti matrimonio. Itemque Titii et Caiae consanguinei affines inter se non fiunt.

4. *Ita computatur, ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris et vice versa.* — Recte Modestinus ait (fr. 4 D. XXXVIII, 10): *Gradus adfinitati nulli sunt.* Sed neque lineae: nullus enim est stipes, nulla generatio. Aliquo tamen modo eam demetiri oportebat: proinde cautum est, ut affinitas consanguinitatem per omnes ramos sequeretur, utereturque iisdem gradibus ac lineis. Unde, si velis Titii affines noscere, et qua linea quove gradu ei obstringantur, explorandum

tibi est, quo gradu quave linea, Caia, eius uxor, consanguineos habeat; et vicissim. Idque tum nostro, tum civili iure universo.

5. Affinitas, sicut et consanguinitas, multiplex esse potest, idque duobus modis: — 1.) Ex eo quod multiplex sit vinculum consanguinitatis, a quo procedit. — 2.) Ex eo, quod quis successive matrimonium



contrahat cum duobus consanguineis (can. 1077 § 2): scilicet ex. c. *Titius*, per primum matrimonium cum *Caia*, *Seiae*, *Caiae* sorori, simulque omnibus *Caiae* consanguineis affinis fit; per alterum vero matrimonium cum *Seia* contractum, iisdem consanguineis (ex. c. *Seiae* patri ac fratri) iterum affinitate iungitur.

6. At quid de affinitate, matrimonio soluto? Siquidem, videtur cum contractu affinitas solvi. Nam, si, ut habet Sanchez (*De s. matrim. sacram.* disp. 64 n. 2), *durat affinitas post mortem eius, qui affinitatis contrahendae causa fuit, sicut et consanguinitas; quare, mortuo alterutro coniuge, non dissolvitur affinitas ex copula producta* — id prima fronte videtur, post immutatum per Codicem conceptum affinitatis, amplius affirmari non posse: non enim modo radix affinitatis est factum naturae, sed factum legis. Ex adverso tamen, Codex ipse affinitatem inter impedimenta matrimonialia recenset, et quidem a quo, consummato matrimonio, in linea obliqua tantum Ecclesia dispensare solet: non autem affinitas prius matrimonium impedit, quam de altero ineundo matrimonio agatur, idest nonnisi primo matrimonio dissoluto. Ideo dicendum est, et post mortem coniugis affinitatem perdurare: aliter enim finem suum lex non consequeretur.

7. Affinitas consanguinitatem sequitur, proindeque eodem fere iure, quo consanguinei, et affines utuntur. Scilicet affinitas in linea recta ita matrimonium dirimit in quolibet gradu, (can. 1077 § 1), ut ne in mortis quidem articulo, et quamvis adsit proles legitimanda, hac in linea, consummato matrimonio, Ecclesia dispensare soleat (can. 1043); in linea vero obliqua usque ad secundum gradum inclusive (can. 1077 § 1): tamen hoc in gradu impedimentum constituit gradus minoris (can. 1042

§ 2 n. 2). Affines, perinde ac consanguinei (cfr. c. ad can. 96 n. 7), excluduntur a munere administratoris dioecesani (can. 367 § 3); ab officio peritorum iudicialium (can. 1795 § 2); a testimonio ferendo (can. 1757 § 3 n. 3); quilibet autem testis ab obligatione testandi eximitur, quoties ex sua testificatione damnum grave, eius affinibus obventurum pertimescitur. Insuper iudex quilibet ecclesiasticus, iustitiae promotor ac defensor vinculi prohibentur a causa suscipienda, in qua, ratione affinitatis, aliquid ipsorum intersit (can. 1613 §§ 1 et 2). Praeterea, litis expensae inter partes affines compensari possunt (can. 1911). Denique bona immobilia ecclesiarum, sicut et consanguineis, neque administratorum affinibus vendenda aut locanda sunt, sine speciali Ordinarii loci licentia (can. 1540); delinquentis vero infamia in affines nunquam redundat.

Can. 98.

§ 1. *Inter varios catholicos ritus, ad illum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus fuit, nisi forte baptismus a ritus alieni ministro vel fraude collatus fuit, vel ob gravem necessitatem, cum sacerdos proprii ritus praesto esse non potuit, vel ex dispensatione apostolica, cum facultas data fuit ut quis certo quodam ritu baptizaretur, quin tamen eidem adscriptus maneret.*

§ 2. *Clerici nullo modo inducere praesumant sive latinos ad orientalem, sive orientales ad latinum ritum assumendum.*

§ 3. *Nemini licet sine venia Apostolicae Sedis ad alium ritum transire, aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti.*

§ 4. *Integrum est mulieri diversi ritus ad ritum viri, in matrimonio ineundo vel eo perdurante, transire; matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera est potestas, nisi iure particulari aliud cautum sit.*

§ 5. *Mos, quamvis diuturnus, sacrae Synaxis ritu alieno suscipiendae non secumfert ritus mutationem.*

1. Praetereundus Legislatori non erat ritus personarum: siquidem hinc etiam quandoque iura atque obligationes oriuntur. Est *ritus* vox incertae originis, quam Lanzi (*Saggio di lingua etrusca* t. 2 p. 822) putat ab etrusco *eritu* derivatam, nam in tabulis eugubinis *eritu* ἱερατεῖον seu sacrum ministerium significat. Quare etiam Festus (*De verborum significatu*, F. 289) ritum accipit pro *more comprobato in administrandis sacrificiis.* Unde Livius (*Historiar. roman. libri,* I, 7): *Sacra diis aliis albano ritu, graeco Herculi facit.* Et apud nos eandem significationem habet: nunc quippe *ritus nomine venit precandi ratio qua externus Dei cultus continetur* (Praef. ad *Decr. authent. Congreg. Sac. Rituum.* ed. 1898), ita tamen, ut modo accipiatur perinde ac caeremonia (cfr. n. 3), veluti cum in celebratione matrimonii servari praecipiuntur *ritus in libris ritua-*

libus ab Ecclesia probatis praescripti, aut laudabilibus consuetudinibus recepti (can. 1100); modo pro caeremoniarum complexu, quibus actio aliqua sacra coalescit, veluti cum confirmandi, si plures sint, iubentur adesse primae manuum impositioni, vetanturque, nisi *expleto ritus* (nempe confirmationis) discedere (can. 789); modo denique pro systemate universo caeremoniarum, quas populus aut regio aut ordo religiosus adhibet in sacris peragendis, veluti cum Codex cavet, prolem esse baptizandam *ritu parentum* (can. 756 § 1). Et hac significatione dicuntur varii esse in Ecclesia ritus, videlicet latini et orientales; latinis vero ritibus romanus, ambrosianus, gallicanus, mozarabicus, slavonicus accenseri; orientalibus autem praesertim graecus, armenus, syriacus, coptus. Sed qua praecise significatione hic ritus accipitur?

2. Ait Legislator: *Inter varios catholicos ritus ad illum quis pertinet*, etc. — Animadvertendum est, hic agi de personis ecclesiasticis in genere, videlicet de iuribus atque obligationibus, quibus in genere consistit status personarum, et hac de causa quaeritur ad quemnam ex catholicis ritibus persona pertineat. Patet igitur, non quaeri de ritibus, qui existunt intra fines Ecclesiae Latinae, quorum diversitas iuris nostri nihil fere interest, sed potius, num quis latino an orientali ritui et cuinam ex ritibus orientalibus, qui haud parum saepe inter sese quoque differunt, adscriptus censeri debeat. Breviter, quaeritur de ritibus, qui, nedum ratione caeremoniarum, verum etiam ratione iuris disciplinaris, quod cuique coniungitur, inter se distant: hinc maximi momenti est, ad quem quis ritum pertineat habere perspectum, ut de eius iuribus et obligationibus ex hac etiam parte lucide constet.

3. Iam vero, ad eum ritum quis pertinet, *cuius caeremoniis baptizatus est.* — Ante omnia videndum est, quidnam *caeremoniae* nomine sit intelligendum. Est autem et haec vox originis fere ignotae. Magis arridet opinio, in latinam linguam derivasse a *Caere*, Tusciae oppido, quo cum Romani, gallico bello exardescente, omnia sacra sua transtulerint Caeritumque custodiae commiserint, postea, devictis Gallis, sancte et cum fide servata receperint (cfr. Val. Maximum, *Dictor. factorumq. memorabil.* I, 1 n. 10). Inde *caeremonia*, sacros ritus, quibus Deus colitur, significasse videtur. Unde Cicero (*Harusp. respon. 17): Quod quidem sacrificium fit incredibili caeremonia.* Et alibi (I *Tusculanar. disput.* 12): *Caeremoniae sepulcrorum.* Tacitus vero (IV *Historiar.* 83): *Timotheum atheniensem, quem ut antistitem caeremoniarum Eleusine exciverat.* Quid igitur nobis intelligendum caeremoniae nomine? Sane actus singuli, quibus actio quaeque sacra (ex. c. confirmatio) perficitur.

4. Itaque ad illum quis ritum pertinet, cuius caeremoniis baptizatus est. Baptizari autem quis debet ritu parentum (can. 756), nempe si amborum idem sit ritus; ritu patris, si non idem; ritu partis catholicae, si parentum mixta sit religio (ibid.). Si autem proles illegitima sit aut

postuma, videtur ritu matris esse baptizanda. Quid vero, si parentes obsistant? Licetne ministro alieni ritus, sponte sibi oblatam prolem baptizare? Puto licere, et, si sibi persuadere non sinant, parvipendendam non esse voluntatem parentum; siquidem, cum baptismus sit voluntarius *per fidem* idest per voluntatem parentum, qua proles obligatur, ritus quoque electionem, quod plane accessorium est, videtur fieri non posse contra parentum voluntatem, atque ita canonis 756 praescriptum esse intelligendum. Idque eo vel magis, quod Benedictus Pp. XIV (const. *Etsi pastoralis,* § II, VIII) ait: *Infantes, nati ex patre et matre graecis, ritu graeco, nisi aliter parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debent.* Oportet nempe iusta causa subsit, cuius iudex Ordinarius est: est igitur his in casibus Ordinarius adeundus. Quare, cum quaesitum fuerit Commissioni Pont. ad Codicis canones authentice interpretandos: *Utrum qui ad preces parentum, contra praescriptum canonis 756, a ritus alieni ministro baptizati sunt, pertineant ad ritum in quo sunt baptizati, — vel ad ritum in quo, iuxta praescriptum canonis 756, baptizari debuissent;* — Commissio respondit: *Prout casus exponitur, negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Prout casus exponitur, ritus alieni minister, ad parentum preces, contra can. 756 praescriptum baptizat; nulla causa producitur, nisi preces parentum; Ordinarius ignoratur; omnia per seipsum minister agit: sane, non ita ratio habenda est voluntatis parentum.

Igitur, quo quis ritu baptizatus est, ad eum pertinet, nempe, ut ait Benedictus Pp. XIV (const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742 § II n. XI), *ad latinum ritum spectant qui latinis caeremoniis baptizati fuerint; qui vero ritu graeco* (aut armeno, aut copto, aut syriaco) *in graecorum* (aut armenorum etc.) *numero sunt habendi.* Quare vero ritus electio per baptismum fiat, ex eo aperte patet, quod baptismate constituitur homo in Ecclesia Christi persona: nimirum ante baptismum nulla esse potest de ritu quaestio, et vicissim persona ecclesiastica sine ritu non intelligitur. Oportet ergo, quo momento quis persona fit, eo etiam ritum sortiri.

5. Sequitur: *Nisi forte baptismus a ritus alieni ministro vel fraude,* etc. — Fraus multipliciter accipi potest. Iure romano a dolo distinguitur (fr. 3 D. XVII, 2) atque, ut Cuiacio placet, *ex reipsa venit, ex conventione inconsulto facta, sine dolo adversarii* (*In libr. XXXII Pauli ad edict.,* ad leg. III et XIII *de socio* § 3), cum nempe ex. c. *res venierit nimis iniquo pretio per imprudentiam venditoris vel necessitate quadam urgente* (ibid.). Contra, *dolus venit ex calliditate, machinatione, circumscriptione, insidiis adversarii* (ibid). Quandoque vero fraus cum dolo coniungitur. Ad rem Cuiacius (*ad Afric.* tract. I ad l. *si id quod*): *Fraus genus est; species fraus et dolus: dolus in persona, fraus in reipsa.* Iure civili nostri temporis, is communiter dicitur fraude uti, qui per positi-

vam simulationem aliis damnum infert: et est delictum civile; sed, si fines actionis civilis excedat, iudicio criminali subiicitur; is vero dolo agere dicitur, qui sciens prudens legem contemnit. Iure nostro fraus et dolus fere promiscue adhibentur (cfr. can. 48 § 2, 52, 103 § 2 et alios passim) pro deceptione ac fallacia: tamen in delictis Legislator de dolo, non de fraude loquitur (cfr. 2199, 2200 § 2), eumque peculiari tum dicit significatione intelligi: *Dolus heic est deliberata voluntas violandi legem* (can. 2200 § 1). Fraus igitur iure nostro semper adest, cum quis decipitur sive positivis machinationibus sive etiam negative tantum: et ideo baptismus fraude confertur, tum cum parentes, minister, neophytus simulatione agunt, tum cum, absque ulla positiva circumventione, ignorantia alterius abutuntur. — *Vel ob gravem necessitatem, cum sacerdos proprii ritus praesto esse non potuit.* Alia exceptio, a iure taxative statuta, est gravis necessitas, nempe cum *periculum mortis infantis aut hyemis inclementia, locorum distantia, itineris difficultas obstant, quominus baptismus a proprio sacerdote administrari possit* (S. Congr. de Prop. Fide, decr. 6 oct. 1863 A, c) — Denique excipitur casus, quo baptismus collatus sit *ex dispensatione apostolica, cum facultas data fuit ut quis certo quodam ritu baptizaretur, quin tamen eidem adscriptus maneret.* Haec proinde dispensatio nonnisi ab Ap. Sede concedi potest. His casibus exceptis, ritus baptizati est ritus baptismi.

6. Deinde: *Clerici nullo modo inducere praesumant,* etc. — Extra fraudem, necessitatem, dispensationem in momento baptismatis, potest quis ad alium ritum assumendum precibus, adhortationibus, consilio induci. Tamen et hoc clericis vetitum est, ne scilicet personam ad ritum orientalem pertinentem ad latinum ritum assumendum inducant, et vicissim. Non item prohibetur clericus, ab inducendo orientalem ad alium item orientalem ritum assumendum: non enim eadem est ratio; nam, dum ritus orientales, in iis nempe quae iuris ecclesiastici sunt, toto coelo distant a latinis ritibus, inter eos non eadem est differentia.

7. *Nemini licet sine venia Apostolicae Sedis ad alium ritum transire,* etc. — Aliud est transitus ad alienum ritum, aliud rituum permixtio: ille in persona fit, haec in re, ac proinde statum personalem non immutat. Nempe ritus permiscentur si ex. c. presbyter latinus graeco ritu sacramentum ministret: quod etiam clericis vetitum est. Transitus vero ad alium ritum tum locum habet, cum quis, proprium ritum relinquens, alienum profitetur, perinde ac si ritu eiusmodi baptizatus fuisset. Et id per se minime vetatur, dummodo transitus legitime fiat, videlicet cum venia Ap. Sedis; contra transitus arbitrarius de ritu orientali ad orientalem et *a fortiori* ad latinum et vicissim, illegitime fit, ac *permultis constitutionibus et decretis reprobatur, et quocumque modo ad effectum deductus irritus ac nullus esse declaratur* (S. Cong. de Prop. Fide, decr. 6 oct. 1863 A. a.). Idque licet nemini, neque clerico, neque laico,

neque religioso, immutata veteri disciplina, iuxta quam inter duos ritus, qui in sacrificio ac sacramento eucharistico aut azymo pane ambo utebantur aut fermentato, transitus fieri poterat sine venia Ap. Sedis (cfr. S. Cong. de Prop. Fide, decr. 20 nov. 1838).

8. *Integrum est mulieri diversi ritus*, etc. — Si mulier latina graeco viro nubat, graecum ritum assumere potest in actu matrimonii vel etiam postea, matrimonio perdurante; itemque, quovis modo legitime soluto matrimonio, ad latinum reverti vel graecum servare. Graecum, inquam, servare: quia graeco ritui iam fortasse assueta; ad latinum reverti: quia, soluto matrimonio, ratio amplius non adest in graeco ritu permanendi; etsi enim alia significatione, et hic aptari potest matrimonii definitio quam dedit Modestinus (fr. 1 D. XXIII, 2): *Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio.* Veruntamen Legislator, ad normam can. 6 n. 1, excipit casum, quo ius particulare aliud caveat.

9. Tandem: *Mos, quamvis diuturnus, sacrae Synaxis ritu alieno suscipiendae non secumfert ritus mutationem.* — *Synaxis*, a σὺν-ἄγω, collectionem, congregationem, conventum prius significavit; deinde, apud Christifideles, conventum ad sacram Eucharistiam celebrandam, celebrationem ipsam ac ipsam Eucharistiam. Et hoc sensu accipitur in canone. Ceterum, praestat commentarii loco, Leonis Pp. XIII (constit. *Orientalium dignitas*, 30 nov. 1894, 2) verba referre: *Ubi desit*, ait Pontifex, *proprii ritus sacerdos, cui Patriarcha orientalis mandet spiritualem suorum administrationem, ibi eorum curam suscipiat parochus alieni ritus, qui easdem atque ipse species, azymum vel fermentatum, ad consecrandum adhibeat; anteferatur qui eas adhibeat ritu orientali. Fidelibus autem sit facultas communicandi utrovis ritu, non eis tantummodo locis ubi nulla ecclesia nec sacerdos sui proprii ritus habeatur, verum etiam ubi, propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam possint, nisi cum gravi incommodo, adire: de quo Ordinarii esto iudicium. Idque fixum remaneat, eum qui alieno ritu vel diu communicaverit, non propterea censendum mutasse ritum, sed in ceteris officiis omnibus perseverare parocho suo addictum.*

Can. 99.

In Ecclesia praeter personas physicas, sunt etiam personae morales, publica autoritate constitutae, quae distinguuntur in personas morales collegiales et non collegiales, ut ecclesiae, Seminaria, beneficia, etc.

1. Hactenus de physicis personis in genere. Sed *in Ecclesia sunt etiam personae morales:* erat igitur Legislatori statuendum, quemadmodum personae huiusmodi nascantur, agant, pereant: idque facit hoc et quatuor canonibus, qui sequuntur. Et primum, hoc et sequenti canone, de constitutione personarum moralium. Supra diximus (cfr. c. ad can. 87

n. 1), quidquid iuris acquirendi exercendique lege capax habetur (cfr. D'Annibale, *Summ. Theol. mor.* Vol. I n. 43), esse iuridicam seu *moralem* personam: iuridicam, quia nonnisi artificio et fictione iuris consistit; moralem, per contrapositionem ad personam physicam, ex eo quod in rerum natura consistentiam non habet, quamvis ex physicis personis sit constituta: etenim, id quod est moralis persona, a personis physicis coëuntibus plane distinguitur. Hinc Ulpianus (fr. 7 D. III, 4): *Si quid* ex c. *universitati* (idest personae morali) *debetur, singulis non debetur: nec quod debet universitas, singuli debent.* Imo inter utrorumque iura conflictus esse potest.

2. *Publica auctoritate constitutae* — Personas morales, quae iure romano admittebantur (cfr. n. 3), voluntas privatorum constituebat: *his*, ait Gaius (fr. 4 D. XXXXVII, 22), *lex potestatem facit, pactionem quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant;* publica vero auctoritas tum tantum interveniebat, cum earum finis rei publicae perniciosus videbatur (cfr. Ferrini, *Pandette* n. 73). Iure civili nostrae aetatis absque erectione a publica auctoritate facta personae morales non constituuntur. Eodemque modo iure nostro: siquidem visum est haud parum publicae auctoritatis interesse, si nulla extaret in Ecclesia persona moralis, quin aut ab iure aut (statutis exhibitis) a competenti Superiore per formale decretum iuridicam personalitatem obtinuerit eiusque vigilantiae ita facilius subiiceretur.

3. Sequitur: *Quae distinguuntur in personas morales collegiales et non collegiales* — Collegiales sunt, quae physicis personis constant, alias non collegiales. Personarum collegialium, veluti Ordinis aut Congregationis religiosae, Capituli, piae laicorum associationis, patrimonium administrant sodales ad normam statutorum; personarum non collegialium, veluti ecclesiae, Seminarii, beneficii, Mensae episcopalis, piae fundationis certi administratores iure communi aut particulari vel etiam ex legitima pactione designati. Iure romano ante-iustinianaeo, nonnisi collegia admittebantur; contra, ius civile nostri temporis utrumque personarum genus admittit.

CAN. 100.

§ 1. *Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina; ceterae inferiores personae morales in Ecclesia eam sortiuntur sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum.*

§ 2. *Persona moralis collegialis constitui non potest, nisi ex tribus saltem personis physicis.*

§ 3. *Personae morales sive collegiales sive non collegiales minoribus aequiparantur.*

1. Personarum moralium ecclesiasticarum aliae divino, aliae mere ecclesiastico iure consistunt. In primis vero *Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina.* Catholicae Ecclesiae nomine Ecclesia universa significatur, prout nempe Principibus ecclesiasticis ac subditis constat; nomine vero Apostolicae Sedis, uti ex rei natura manifestum est (cfr. can. 7), solus Romanus Pontifex est intelligendus, non autem Congregationes, Officia, Tribunalia Curiae romanae; vel, accuratius, summus Pontificatus, qua est persona moralis non collegialis, cuius iura et officia Pontifices, in eodem sibi succedentes, administrant. Hae igitur personae morales iure divino iuridica personalitate fruuntur. Undenam? Persona collegialis sodalibus, statutis, legislatoris erigentis voluntate; persona non collegialis fine quodam a legislatore explicite aut implicite determinato, statutis, administratoribus tanquam substantialibus elementis consistit. Iam vero Christus D. Petrum alloquitur in haec verba: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis*, etc. (Matth. XIV, 18 et 19). Postea vero: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu ... confirma fratres tuos* (Luc. XXII, 32). Denique: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (Io. XI, 15-17). Cum apostolis autem universis ita sermocinatur: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo*, etc. (Matth. XXIII, 18). Et eucharistiam primo celebrans ait: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. XXII, 19). Deinde: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. XX, 23). Ac tandem: *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae* (Marc. XVI, 15). *Docete omnes gentes, baptizantes eos; docentes eos servare quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi* (Matth. XXVIII, 19 et 20). Textu *vulgatae* editionis utimur; quaestionibus hermeneuticis exegetis theologisque relictis, quid iuris hisce verbis contineatur videamus, perinde ac si tabulae testamentariae nobis essent interpretandae. Age vero: in primis omnia divinitus fiunt, nam qui loquitur Christus est; est, inquam, Christus, qui orientalium more metaphorica locutione utens, *Ecclesiam se-aedificaturum* dicit, ideoque merito appellat *suam*. Habes hic Ecclesiae conditorem. Ad Ecclesiam vero *omnis creatura, omnes gentes* evocantur: inde ecclesiae nomen. Et hic habes sodales ad personam collegialem constituendam aptos. Deinde Christus spondet, se apostolis suis opitulaturum *usque ad consummationem saeculi*, idest usque ad finem temporis (ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος), usque ad finem mundi; hinc voluntas Christi, erigendi tum Ecclesiam tum Ap. sedem in personam moralem, quae natura sua perpetua est. Praeterea Ecclesia *supra Petrum* est aedificanda: rogavit enim Christus, ut eius eiusque successorum *fides deficeret nunquam*; illius igitur est *fratres confirmare, pascere oves et agnos,*

idest et fideles et pastores ipsos; quaecumque vero apostoli simul *alligare* ac *solvere* possunt, potest et seorsim Petrus. Omnibus autem apostolis eorumque successoribus praecipitur, ut *omnes gentes* evangelium *edoceant*, ut *evangelium praedicent omni creaturae*, ut *baptizent*, ut eucharistiae ministri sint in *eius commemorationem*, ut *peccata remittant aut retineant*. Et hic habes Ecclesiae constitutionem fundamentalem ac Ap. Sedis statuta; utriusque iura atque officia quoad magisterium, ministerium, subditorum regimen; habes ecclesiasticae iurisdictionis hierarchiam. Breviter, habes personae collegialis, nempe Ecclesiae, sodales; personae non collegialis, nempe Ap. Sedis, finem ac perpetuum administratorem; habes utriusque statuta ac tandem voluntatem legislatoris in personam moralem utramque erigentem. Habet igitur tum Ecclesia catholica, tum Ap. Sedes rationem personae moralis ex ipsa ordinatione divina: iuri autem divino nullum humanum ius derogare potest; ideoque et iure ecclesiastico et civili, et privato et publico, et constitutionali et internationali, iuridica personalitate, et quidem suprema, utraque gaudet. Unde Pius Pp. IX (*Syllabus*, 8 dec. 1864, prop. 19) merito damnavit propositionem: *Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino fundatore suo collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura, ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.* Eademque de causa S. Congr. S. Off. (decr. *Lamentabili*, 4 iul. 1907, prop. 52) propositionem damnavit: *Alienum fuit a mente Christi constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin imo in mente Christi regnum coeli una cum fine mundi iam iam adventurum erat.*

2. Sequitur: *Ceterae personae morales in Ecclesia eam sortiuntur*, etc. — Scilicet ceterae personae quae intra Ecclesiae fines existunt, iuridicam personalitatem ex iure mere ecclesiastico obtinuerunt. Et esse possunt cuiuscumque generis, dummodo finem religiosum (Deum) aut caritativum (proximum) sibi praestituerint. Harum vero quaedam rationem personae, moralis sortitae sunt *a iure*, nempe ex ipso iuris praescripto, quo, facto aliquo praesupposito, ex ipsius iuris dispositione personalitas iuridica consequitur; aliae *ab homnine*, nempe per specialem ac formalem decretum Superioris competentis. Ius commune passim de huiusmodi competentia agit. Ita ex. c. ad erigendam Congregationem religiosam competens est Ordinarius loci (can. 492 § 1). Quas vero domus Congregatio iuris dioecesani post primam constituerit, rationem personae moralis habent a iure, dummodo tum Ordinarii loci, tum Ordinarii domus principis consensus intercedat (can. 495 § 1); quod, si Congregatio sit iuris pontificii, consensus Ordinarii loci sufficit (can. 489 § 1); contra, si domus erigenda sit in locis S. Congr. de Prop. Fide subiectis, aut exempta a iurisdictione Ordinarii esse debeat, aut monialibus inservire, requiritur quoque consensus Ap. Sedis (ibid.). Sed semper nova

domus iuridicam personalitatem habet a iure. Si autem agatur de provincia erigenda in religione iuris pontificii, una Ap. Sedes competens est (can. 494 § 1). Et cum ratio personae moralis non acquiritur per dispositionem iuris, formale erectionis decretum est necessarium: quod si desit, quoniam ad formam actus id pertinet, personalitas iuridica non obtinetur.

3. *Persona moralis collegialis constitui non potest, nisi ex tribus saltem personis physicis.* — Et haec lex irritans est. Eademque regula iure romano obtinebat: *Neratius Priscus*, ait Marcellus (fr. 85 D. L, 16), *tres facere existimat collegium: et hoc magis sequendum est.* Ergo non minus quam tres: alias, per maioritatem suffragiorum agere non posset (cfr. c. ad can. 101). Idque dicitur de collegii constitutione: etenim, postquam constitutum est, alio iure regitur (cfr. c. ad can. 102).

4. *Personae morales minoribus aequiparantur.* — Minores gaudent favore iuris, eo quod, ut habet Ulpianus (fr. 1 D. IV, 4), *inter omnes constat fragile esse et infirmum huiusmodi aetatium consilium et multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum.* Iam vero ius civile Romanorum subveniebat minoribus XXV annis, qui circumscripti fuissent; ius vero honorarium iis etiam, quibus absque ulla circumscriptione damnum ex contractu esset illatum (ibid.). Idque fiebat per restitutionem in integrum. Ius civile nostri temporis longius progreditur, et generatim habet minores ut incapaces cuiuscumque actus iuridici, matrimonio ac testamenti factione exceptis (cfr. Serafini *Istit. di dir. rom.* § 9). Iure nostro minores annis XXI, uti supra diximus (cfr. c. ad can. 89 n. 3), singulari quodam iure censentur, sed praesertim, si graviter laesi fuerint, uti possunt remedio extraordinario restitutionis in integrum (can. 1687 § 1), etiamsi iusta causa non subsit et probari non possint laesionem non sibi esse imputandam (idid. § 2), dummodo constet et gravem laesionem esse factam, et factam esse minori; imo si in integrum restitutionem ipsi non petant, et promotor iustitiae petere potest ex officio, et iudex ecclesiasticus ex officio decernere (can. 1688 § 2). Personae morales minoribus aequiparantur: sunt enim et ipsae, quamvis non ratione aetatis, impares ad sua iura tuenda et, quod peius est, multis captionibus expositae. Proinde et moralibus personis competit ex iure in integrum restitutio. Sed quaeritur: quid iuris, si moralis persona a persona morali graviter laedatur? Est minor adversus minorem restituendus? Ait Ulpianus (fr. 11 D. IV, 4): *Pomponius simpliciter scribit non restituendum. Puto autem inspiciendum a praetore quis captus sit: proinde si ambo capti sunt, verbi gratia minor minori pecuniam dedit et ille perdidit, melior est causa, secundum Pomponium, eius qui accepit et vel dilapidavit vel perdidit.* Scilicet in causa pari melior est conditio possessoris, ideoque neuter restituendus est. Quod Ulpiani et Pomponii placitum, Donellus (*De iuri civili* lib. XXI c. 12 n. 21) subti-

lissime explicat. Verum, si alter minorum ditior factus, tunc amplius sit par non est utriusque conditio, ac proinde, ut Voet optime ratiocinatur (*Comment. ad Pandect.* libr. IV tit. 4. n. 35), *dubium non est, quin in damnis haerenti succurrendum sit adversus eum, qui lucrum captavit.* Idque et iure nostro affirmandum esse videtur de minoribus ac personis moralibus, quae iisdem aequiparantur: si tamen gravis sit laesio (can. 1687 § 1).

CAN. 101.

§ 1. *Circa actus personarum moralium collegialium:*

1° *Nisi aliud expresse iure communi aut particulari statutum fuerit, id vim iuris habet, quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto, paritatem dirimat aut, si agatur de electionibus et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine vel prima professione vel aetate;*

2° *Quod autem omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet.*

§ 2. *Si de actibus personarum moralium non collegialium agatur, serventur particularia statuta ac normae iuris communis, quae easdem personas respiciunt.*

1. Personae morales, statim atque constitutae sunt, agere possunt. Iuridice vero quis agere potest per manifestationem voluntatis. At personarum moralium, qua personae morales sunt, nulla est voluntas: sunt enim reipsa causae, quas ius, utpote publice utiles, sua potestate tuetur; utque facilius finem suum assequi possint, personas esse fingit iurium atque obligationum capaces, vocatque personas morales, quia physice, idest in rerum natura, nihil sunt. Oportebat igitur iure caveri, qua ratione personae huiusmodi, quae voluntate destituuntur, agere dicerentur: et placuit ut, si causa collegio personarum physicarum concredita esset, persona collegialis ageret per collegium ipsum, nempe collegii sodales; sin minus, hoc est si persona moralis collegialis non esset, per administratores ad normam iuris. Verum, ut prius de personis collegialibus loquamur, quandonam recte dicetur persona collegialis per voluntatem sodalium iuridice egisse? Ex. c. quandonam voluntas capitularium, uti voluntas Capituli habenda erit?

2. Ait igitur Legislator: *Nisi aliud expresse iure communi aut particulari statutum fuerit, id vim iuris habet,* etc. — Scilicet, ut manifestum sit, quemadmodum agere debeant sodales, ut per eos persona collegialis egisse dicatur, videndum est in primis, num ius commune de ratione agendi personae illius, quoad actum, de quo quaeritur, specialiter aliquid statuat: quod si statuerit, ius particulare (extra privi-

legium, dispensationem, consuetudinem contrariam aut praescriptionem) iuri communi adamussim respondere debet. Ita ex. c. iure communi cavetur, electiones regulariter fieri posse per compromissum in arbitros (can. 172 § 1); monasterium religiosarum, cum agitur de suffragio ferendo pro confirmatione confessarii, suam voluntatem exprimere debere per maioritatem suffragiorum (can. 526); eundemque requiri suffragiorum numerum, ut quis in Vicarium Capitularem vel in oeconomum dioecesanum deputatus habeatur (can. 433 § 2); imo in electione Romani Pontificis duabus suffragiorum tertiis partibus opus esse (Pii Pp. X const. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904, n. 57). Iure autem communi silente, ius particulare gradatim inspiciendum est, nempe per Concilium plenarium, provinciale aut per Synodum dioecesanam introductum: postremo loco, peculiaria personae collegialis statuta.

3. Sequitur: *Id vim iuris habet, quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt.* — Cum persona collegialis agat per expressam voluntatem sodalium, patet, hanc exprimi oportere saltem per maioritatem suffragiorum, eorum nempe, quae valida sunt; ideoque ante omnia sunt demenda invalida suffragia ac *schedulae,* ut aiunt, *albae,* quae iisdem connumerantur. Maioritas igitur requiritur, videlicet plus quam dimidia pars; quae cum adest, non immerito (quamvis non eadem prorsus significatione) cum Scaevola (fr. 29 D. L, 1) affirmare possumus: *Quod maior pars effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint.* Id tamen minime vetat, ius in gravioribus quibusdam deliberationibus, uti supra diximus, requirere interdum duas ex tribus partibus suffragiorum; et vicissim, in negotiis consuetis, satis esse, ut statim infra videbimus, minus quam medietatem. Et haec est maioritas absoluta, da qua loquitur canon, nempe maioritas pura et simplex omnium suffragiorum, quae legitime lata sunt: cetera enim suffragiorum numero non habentur. Ita c. si decem fuerint valida suffragia, id erit ratum atque legitimum, quod ex suffragiis sex; si vero tria fuerint, quod duobus ex suffragiis placuisse constiterit.

4. *Aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio.* — Ne scrutinia in longius protrahantur, quam requirat gravitas negotiorum, statuit Codex, post duo scrutinia, in quibus maioritas absoluta obtenta non fuerit, sufficere maioritatem relativam. Animadvertendum est, tunc tantum scrutinium ad maioritatem absolutam inefficax esse posse, cum aut suffragia in duas aequales partes divisa sunt, aut plus quam duae sunt de eadem re sententiae, super quibus suffragium ferendum est: etenim tunc tantum ita dividi suffragia possunt, ut in nullam maioritas conveniat. Tum vero in tertio scrutinio maioritas relativa sufficit, quae videlicet maioritas non est, nisi quatenus ad minores partes suffragiorum referatur, atque ea sententia vincit, in quam plus convenit suffragiorum, quicumque demum sit numerus. Quare, si ex. c.

suffragia dividantur in partes quatuor, quarum ex novem validis suffragiis alia tria, ceterae vero bina retulerint, ea vincit, in quam tria suffragia convenerunt.

5. *Quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto paritatem dirimat.* — Scilicet obvenire potest, ut neque tertium scrutinium sit efficax, idque ex eo, quod quaeque sententia aequalem suffragiorum numerum retulerit ac proinde etiam maioritas relativa deficiat. Quae, quoniam denuo in subsequentibus scrutiniis deesse potest, ne res in infinitum protrahatur, Legislator iubet debere praesidentem suo tunc voto dirimere paritatem. Suo, inquam, voto, non suffragio: scilicet, manifeste declarando, cui ex variis sententiis, quae aequalem obtinuerunt suffragiorum numerum, accedere placeat. Unde ecclesiastica negotia, a collegialibus personis ad huius normam canonis discutienda, tribus ad summum scrutiniis absolvi debent.

6. *Si agatur de electionibus, et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur*, etc. — Iure communi praesidenti collegii permittitur ut, cum agitur de electionibus, possit, ne invidiam subeat, a suffragiorum paritate dirimenda abstinere. Electio hic latiore significatione accipienda videtur, ideoque eos quoque actus comprehendere, qui proprie loquendo electionibus accenseri non possunt, veluti deputationem Vicarii Capitularis aut officialium Capituli. Sed quid tunc iuris, si praeses paritatem dirimere nolit? Legislator cavet rationem haberi oportere ordinis, professionis, aetatis eorum, qui eundem suffragiorum numerum retulerunt: nempe eum tunc esse legitime electum, qui senior fuerit aut ordine aut professione aut aetate. Et ex contextu videtur ordo sacram hic ordinationem significare. Sed quandonam ordinis, quandonam professionis aut aetatis ratio habenda est? Ius commune nihil decernit. Iam vero in primis patet, cum agitur de collegio laicorum, non posse s. ordinationem aut professionem dirimere paritatem; sicut etiam indubium est, id facere non posse religiosam professionem, si agatur de collegio clericorum saecularium, aut s. ordinationem si agatur de religione laicali. Restant religiones clericales, quae aut primae professionis tempore, aut ordine, aut aetate; religiones laicales, quae aut aetate aut professione; demum clericorum saecularium collegia, quae aut ordine aut aetate, prout ius cuique peculiare statuerit, vel, hoc iure deficiente, ordine, professione, aetate gradatim uti possunt. Haec videtur esse sententia legis.

7. *Quod autem omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet.* — Refert Legislator Reg. 29 R. J. in VI°, eam magis definiendo, verbis *uti singulos* introductis. Videndum igitur est, quaenam genera negotiorum sodales alicuius collegii uti singulos tangant. Iam vero sunt negotia, quibus collegium operam dare debet, qua collegium est vel tale collegium, veluti onus reficiendi ecclesiam cathedralem, quoad eius eccle-

siae canonicos (cfr. can. 1186 n. 1); contra, sunt negotia, quibus collegium, qua collegium est vel tale collegium, nulla obligatione tenetur operam dandi, veluti pecuniae solutio ad aliquod pium opus collegio prorsus extraneum. Age vero: si de negotio prioris generis agatur, negotium me tangit, qua collegii sum pars, quia nempe negligere non possum iura atque obligationes, quae collegio sunt propria; et cum negotium ad collegium spectet, ipsius etiam est de eodem decernere: quare, quod collegium per legitimum actum decreverit, me tenet, quamvis non probaverim. Contra, si agatur de negotio alterius generis, negotium me tangit, non qua collegii sum pars, sed uti singulum, qua homo, qua christianus, qua presbyter sum; et cum, qua me respicit, negotium ad me spectet, mei quoque est de eodem decernere, me ipse solus obligare possum: proinde, uti hac in re collegium legitime egisse dicatur, opus est unanimitate suffragiorum, qua deficiente, actus redigitur ad conventionem singulorum. Quod, si fortasse negotium non *omnes, uti singulos* tangat, sed quosdam tantum, ceteros vero sodales, uti collegii pars, tum utique non ab omnibus necessario probari debet: sed necessario probandum est ab iis, quos uti singulos tangit, si eos quoque obligare placeat.

8. Tandem: *Si de actibus personarum non collegialium agatur, serventur particularia statuta*, etc. — Personae non collegiales eo iure reguntur, quod in fundationum tabulis statutum est. Et quia his in tabulis fundator potest conditiones etiam iuri communi contrarias apponere (cfr. can. 1417 § 1, 1450 § 2, 1492 § 2), ideo in agendo prius peculiaria statuta servanda sunt (et haec admodum varia esse possunt), postea ius commune; idque sive per unum, sive per plures administratores agant.

Can. 102.

§ 1. *Persona moralis, natura sua, perpetua est; extinguitur tamen si a legitima auctoritate supprimatur, vel si per centum annorum spatium esse desierit.*

§ 2. *Si vel unum ex personae moralis collegialis membris supersit, ius omnium in illud recidit.*

1. De personis moralibus videndum restat quemadmodum pereant. Persona physica obitu finitur. Neque datur iure nostro mortis praesumptio, prout iure civili, tum romano anteiustinianaeo (fr. 10 D. XXIII, 2 et fr. 6 D. XXIV, 2) tum quandoque etiam nostrae aetatis fit (cfr. *Cod. civ. gen. austriac.* ed. 1902 § 24), aetate variisque circumstantiis consideratis. Praesertim vero vinculi matrimonialis impedimentum non censetur sublatum, *donec de morte prioris coniugis certo constiterit* (S. Congr. de Prop. Fide, instruct. 1883 n. 43). Quam certam notitiam quomodo

iudex ecclesiasticus assequi possit, eadem Congregatio diligentissime docet (ibid.). Sed aliter se habet persona moralis. Ait enim Legislator: *Persona moralis, natura sua, perpetua est.* Quod facile intelligitur: siquidem, cum per fictionem iuris, sive collegialis sit sive non collegialis, consistat, et sola iuris dispositione nascatur, per solam quoque dispositionem iuris cessare potest. Quod autem erigi possit ab homine, id etiam facit sola iuris dispositio.

2. Sequitur: *Extinguitur tamen, si a legitima auctoritate supprimatur.* — Salva igitur iuridica perpetuitate, qua per se fruitur persona moralis, disponit ius, ut duobus modis perire possit. Primus modus est, si a legitima auctoritate supprimatur, nempe per formale decretum, quo derogetur iuris vel hominis dispositioni: nam *omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* (c. 1 X *de reg. iuris* V, 41). Alter modus est, *si per centum annorum spatium esse desierit.* — Sed et hoc etiam modo persona moralis non cessat, nisi dispositione iuris. Legislator ait: *Extinguitur*, postquam per centum annos *esse desierit.* Sed potesne id extingui, quod iam esse desiit? Profecto potest: potest, inquam, iure id extingui, quod facto iam esse desierat. Aliud enim ius, aliud factum: haec perpetuo contraponuntur, nititurque in ius factum converti. Ita possum ex. c. non facto possidere sed iure, ac postea ne iure quidem; nimirum, postquam facto possidere desii, potest ius quoque meum ad possidendum extingui. Eodemque modo potest moralis persona et facto iam esse desiisse et tamen iure consistere, ac proinde iure extingui, postquam facto esse desierit. Tum vero persona moralis facto esse desinit, cum iuxta finem, ob quem rationem personae iuridicae adepta fuerat, nullimode iam amplius agere potest, quacumque demum de causa id fiat. Quod si status eiusmodi per centum annorum spatium perduraverit, cessat dispositione iuris et ipsa ratio moralis personae, quam ex iuris dispositione obtinuerat; eiusque et iura, et bona si quae sint, et actiones et obligationes in aliam personam transferuntur ad normam iuris. Nec sine ratione longum temporis spatium inter ab agendo desitionem atque iuridicam extinctionem intermittitur: siquidem, incredibile non est, moralem personam hoc temporis spatio in pristinum statum restitui.

3. *Si vel unum ex personae moralis collegialis membris supersit*, etc. — Persona moralis eo usque sua iura exercere potest, quo extiterit qui eadem exerceat. Unde consequitur, et uno sodalium superstite, posse per eum iura personae collegialis exerceri, hoc est in eum recidere. Hinc, cum quaesitum fuerit, num unicus superstes quorundam Capitulorum provinciae Armacanensis in Hibernia, deputare posset, sede vacante, Vicarium Capitularem, S. Congr. Concilii (12 mart. 1672) respondit: *Affirmative, dummodo non eligat seipsum.* Quod planum est. Si igitur *universitas* (idest persona collegialis) *ad unum redit, magis admit-*

titur, posse eum convenire et conveniri, cum ius omnium in unum reciderit, et stet nomen universitatis (fr. 7 D. III, 4). Et sicut iura, ita et obligationes: quae si superstes sodalis, aut per se aut per alium, implere non possit ad iuris communis normam, Ap. Sedes eiusve Legatus sunt adeundi.

Can. 103.

§ 1. *Actus, quos persona sive physica sive moralis ponit ex vi extrinseca, cui resisti non possit, pro infectis habentur.*

§ 2. *Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo, valent nisi aliud iure caveatur; sed possunt ad normam can. 1684-1689 per iudicis sententiam rescindi, sive ad petitionem partis laesae, sive ex officio.*

1. Posita aptitudine materiae, actus iuridici personarum, tum physicarum tum moralium, vitiari possunt; — 1°) ex eo, quod persona sit iuridice inhabilis ad actum perficiendum; — 2°) ex eo, quod formam seu sollemnia a iure requisita non servet; — 3°) ex eo, quod involuntarie aut voluntate minus plena perficiat. Quod rursus dupliciter contingere potest: intrinsecus, idest per factum proprium, veluti si quis ex sua ignorantia per errorem contraxerit; extrinsecus, idest per factum alienum, veluti si quis contraxerit per errorem ex dolo alterius. Iam vero, de personis inhabilitatis deque actuum sollemnitatibus, Legislator, ad normam can. 11, passim toto Codice agit; hoc vero et sequenti canone loquitur de actibus personarum, qui involuntarie aut voluntate minus plena perficiuntur: loquitur, inquam, de iis, quae vi metusve causa fiunt, aut dolo malo intercedente, quaeque proculdubio extrinsecus obveniunt agenti; itemque de iis, quae fiunt per errorem, qui et a dolo, nempe extrinsecus, et ab ignorantia, nempe intrinsecus seu a persona ipsa provenire potest. Et animadvertendum est, hic non esse locum iis voluntatis perturbationibus, quae, quamvis de facto extiterint, probari non possunt; etenim perturbationes huiusmodi nullius momenti sunt in foro externo, quod ad nos pertinet, in quo voluntas semper respondere praesumitur verbis vel factis in actu iuridico perficiendo adhibitis (cfr. can. 1086 § 1). Postquam igitur actum est de personis physicis ac moralibus in genere, modo generaliter agitur de iis, quae harum personarum actus vitiare possunt ex parte voluntatis. Et primum de vi.

2. *Actus, quos persona ponit ex vi extrinseca, cui resisti non possit, pro infectis habentur. — Vis et metus differunt inter se, quia metus refertur ad animum et vis refertur ad corpus* (S. Rota in *Recentior.* decis. 643 n. 25 p. 1). Est autem vis *maioris rei impetus, qui repelli non potest:* ita Paulus (fr. 2 D. IV, 2). Vim igitur intelligimus, quae valeat personam ad agendum vel non agendum cogere. Et quia humana voluntas, in seipsa

considerata, nullimode cogi potest, oportet vis applicetur facultatibus executivis. Proinde vis tum infertur, cum persona, voluntate renitente, extrinsecus ad agendum cogitur: et ideo vis dicitur extrinseca. Ea autem vis sit oportet, cui resisti non possit a persona, qua de agitur: alias enim positus actus involuntarius non esset. Et vis huiusmodi aut *positiva* esse potest aut *negativa*. Positiva vis est, qua ex. c. quis personam physicam, apprehensa manu, instrumentum subsignare cogit; vel qua quis ad consensum eripiendum hypnosi utitur. Negativa vero vis est, qua quis ex. c. personae moralis sodales aut administratores ad non agendum sequestratione, relegatione, exilio adstringit. Hic tamen, cum de actibus iuridicis ponendis agatur, tantummodo vis positiva est consideranda. Qua extante, quilibet actus iuridicus pro infecto habetur, irritus est et nullus, perinde ac si positus non esset: siquidem quod persona coacte agit, non ab ea, sed potius ab eo qui vim adhibuit, actum esse videtur. Ac praetereundum non est, quosdam actus ex vi positos, irritos esse ipso iure, tametsi adhibita vis non ea fuerit, cui resisti non potuisset: veluti admissio ad novitiatum (can. 542 n. 1), professio religiosa (can. 572 § 1 n. 4), matrimonium (can. 1087).

3. *Actus positus ex metu gravi et iniuste incusso.* — Est metus, uti Ulpiano placet (fr. 1 D. IV, 2), *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* Haec a vi haud parum distat: vis personam cogit, metus non cogit, sed potius impellit; vis extrinsecus agit, nempe in facultates executivas seu in corpus, dum metus intrinsecus ipsam voluntatem afficit impellitque ad agendum: is enim proprie metus causa agere dicitur, qui, ut malum sibi impendens devitet, agendum sibi esse ducit. Loquitur autem Legislator de metu gravi. At quando gravis? Certe si mors timeatur aut atrox iniuria; quare Paulus (fr. 8 D. IV, 2): *Quod si quis dederit, ne stuprum patiatur hoc edictum* (videlicet « Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo ») *locum habet, cum viris bonis iste metus maior quam mortis esse debeat.* Veruntamen, *nihil interest in se quis veritus sit an in liberis suis, cum pro affectu parentes magis in liberis terreantur* (ibid.). Ceterum, *ad effectum iusti metus, inspicienda est qualitas personae metum inferentis et metum passae, et attendendae sunt omnes facti circumstantiae* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 274 n. 14 p. 7 et alibi). Hinc *facilius admittitur metus reverentialis, quam alius metus* (ibid. decis. 373 n. 8 p. 18 t. I) et ex. c. *censetur probatus ex minis patris de interdicendo filio aditum suae domus* (ibid. decis. 779 n. 3 et 4 p. 3 et alibi). Item *reverentialis metus intrat in subdito respectu Superioris, et sic in clerico respectu Episcopi* (ibid. decis. 312 n. 6 p. 18 t. I). Et nihilominus *metus, ut sit iustus et relevans* (idest gravis), *debet esse potens cadere in constantem virum* (ibid. decis. 196 n. 8 et seq. p. 4 t. I et alibi), nam *vani timoris excusatio non est* (fr. 184 D. L, 17). Sunt igitur circumstantiae personarum atque rerum considerandae: et *huius rei dis-*

quisitio iudicis est (fr. 3 D. IV, 6). Deinde metus, de quo Legislator agit, iniuste incussus sit oportet, quod videlicet contingit, cum is qui metum incussit, ius incutendi quoad eum actum non habebat. Inde Ulpianus (fr. 7 D. IV, 2): *si quis in furto, vel adulterio deprehensus vel in alio flagitio, vel dedit aliquid vel se obligavit, Pomponius recte scribit posse eum ad hoc edictum* (quod supra attulimus) *pertinere.* Posse: nempe si is, qui metum incusserat, traditionem pecuniae vel obligationem, eius metus causa, extorserit; metu namque, quem in furem aut adulterum iuste incussit, dominus vel maritus abuti non potest ad pecuniam vel obligationem extorcendam.

4. Sequitur: *Vel ex dolo.* — Ut supra (cfr. c. ad can. 98 n. 5) innuimus, quae fuerit apud Romanos notio doli, Ulpianus refert. Praestat verba iurisconsulti ex integro referre: *Dolum malum Servius quidem ita definiit, machinationem quandam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur et aliud agitur. Labeo autem* (censet) *posse et sine simulatione id agi, ut quis circumveniatur: posse et sine dolo malo aliud agi, aliud simulari, sicuti faciunt qui per eiusmodi dissimulationem se servant et tuentur vel sua vel aliena; itaque ipse sic definit dolum malum, esse omnem calliditatem fallaciam machinationem ad circumveniendum fallendum decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio vera est. Non fuit autem contentus praetor dolum dicere, sed adiecit malum* (nempe in edictu « Quae dolo malo facta esse dicentur » etc.), *quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant et pro sollertia hoc nomen accipiebant, maxime si adversus hostem latronemve quis machinaretur* (fr. 1 D. IV, 3). In Codice nostro dolus semper malus intelligitur. Ut quid igitur dolus? Ad circumveniendum, fallendum, decipiendum: uno verbo ad errorem alterius menti ingerendum. Quae igitur de errore disseremus in canone sequenti, ad dolum etiam pertinent. Verum de dolo Legislator hic decernit, qua proprie dolus est, nempe qua errorem inducit, et hac de causa in dolum animadvertit.

5. *Valent, nisi aliud iure caveatur.* — Et prius videamus, quinam sint casus, in quibus aliud iure cavetur de actibus, qui doli metusve causa fiunt. Id autem contingit in electionibus: tum enim nullum est suffragium, *si elector metu gravi aut dolo adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive* (can. 169 § 1 n. 1); in renunciationibus (can. 185); in religiosa professione (can. 572); in voto (can. 1307 § 3); in matrimonio: invalidum namque est, *si initum sit ob metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, matrimonium eligere cogatur* (can. 1087). Praeterea, invalide ad novitiatum admittuntur, *qui religionem ingrediuntur metu gravi aut dolo inducti vel quos Superior eodem modo inductus recipit* (can. 542 n. 1); clericus vero, *qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea remoto metu ordinationem ratam habuit,* ad statum laicalem absque ulla cleri-

corum obligatione redigendus est (can. 214 § 1): nimirum tunc non datur declaratio nullitatis, quae in praxi necessaria non est, cautelae causa, cum agatur de sacra ordinatione. Hi casus, in quibus Legislator de actibus, qui ex metu vel ex dolo positi sunt, aliter cavet ac in canone, quem interpretamur. His casibus exceptis, actus eiusmodi valent. Ad rem Paulus (fr. 21 D. IV, 2): *Si metu coactus adii hereditatem, puto me heredem effici, quia, quamvis si liberum esset noluissem, tamen coactus volui.* Et Ulpianus (fr. 36 D. XLV, 1): *Si quis, cum aliter eum convenisset obligari, aliter per machinationem* (idest dolum) *obligatus est, erit quidem subtilitate iuris obstrictus.* Itaque, qui ex metu coactus voluerit vel ex errore egerit, subtilitate iuris per se obstrictus manet. Quare? Sane, quia metu et errore etiam intrinseco agere possum, nempe quod facile commovear ac ignorantia laborem: tum vero quod egerim mihi soli imputare debeo, salvis circa errorem dispositionibus canonis sequentis. At, quod in me metus errorve per factum alienum ingesti sint, id contra ius accidit, ideoque ius animadvertere debet.

6. Proinde sequitur: *Sed possunt ad normam can. 1684-1689 per iudicis sententiam rescindi*, etc. — Eodemque modo nuper citati iurisconsulti: *Sed per praetorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur* (fr. 21 D. IV, 2). Itemque: *Sed doli exceptione uti potest quia enim per dolum obligatus est, competit ei exceptio* (fr. 36 D. XLV, 1). Sunt igitur huiusmodi actus iuridici, quia ex metu dolove alieno positi, rescindibiles ad normam iuris, idest can. 1684-1689. Nimirum, *si quis motus metu gravi iniuste incusso, vel dolo circumventus actum posuerit vel contractum inierit, qui ipso iure non sit nullus* (ut supra diximus n. 5,vel ut infra dicemus canone sequenti, nam tum institui potest actio nullitatis — can. 1679), *poterit, metu vel dolo probato, obtinere actus vel contractus rescissionem actione quae vocatur rescissoria* (can. 1684 § 1). Idque contra eum, qui metum intulit aut dolum patravit (can. 1685 n. 1), necnon contra quemlibet rei possessorem (ibid. n. 2); et si ille urgeat actus vel contractus executionem, competit parti laesae metus vel doli exceptio (can. 1686). Et tum actio tum exceptio omnibus competit, etiam minoribus. Sed praeterea minores, qui graviter sint laesi, quique actione aut exceptione huiusmodi uti non possint, quia ex. c. dolum vel metum non possunt probare, petere possunt in integrum restitutionem, minoritate ac gravi laesione tantum probatis; vel, si non petant, possunt etiam ex officio restitui (can. 1687-1689)

CAN. 104.

Error actum irritum reddit, si versetur circa id quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem « sine qua non »; secus actus valet, nisi aliud iure caveatur; sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

1. Hoc in canone Legislator agit de errore in se considerato, nulla habita ratione originis, sive ex ignorantia agentis descendat sive ex dolo alieno. Et primum ait: *Error actum irritum reddit si versetur circa id quod constituit substantiam actus.* Id autem substantiam actus constituit, sine quo actus intelligi non potest. Haec norma fundamentalis: plus dicere, haud facile est singulis in casibus; generaliter vero fere impossibile. Deinde adiici potest conditio, idque duplici modo: aut 1°) animo non agendi, si factum desit conditione comprehensum; aut 2°) animo agendi, quamvis fortasse non eodem modo, etiamsi desit factum huiusmodi. Illa *conditio sine qua non* vocatur, nempe conditio sine qua actus positus non fuisset. Hoc conditionum genus, uti patet, maximi momenti est, utpote cui subordinatur agentis consensus. Quare, si error in hanc conditionem recidat, idest si ideo quis agat, quia per errorem (ex ignorantia vel dolo) existimat adesse factum seu circumstantiam, cuius existentiae, tanquam conditioni *sine qua non*, suum consensum subordinavit, revera in actum non consentit ac proinde actus irritus est. His igitur in casibus error actum irritum reddit. Ad rem Paulus ait (fr. 20 D. XXXIX, 3): *Nulla voluntas errantis est.*

2. *Secus actus valet, nisi aliud iure caveatur.* — Valet, quia accessorium sequitur principale: salva nempe actus substantia atque conditio *sine qua non* (quae, quamvis circa accessoria versetur, fit tamen substantialis ex intentione agentis), nulla est ratio habendi ut irritus actus, propter errorem in accessoria incidentem, nisi peculiaris actus aut erroris natura id legislatori suadeat, proindeque aliud iure caveatur. Aliud autem ius cavet in primis praecedenti canone, quo actus ex dolo positi, idest per errorem ex dolo ingestum, vel irriti esse dicuntur, vel saltem rescindibiles, quamvis error circa accessoria versetur (can. 103 § 2). Deinde error in nomine personae irritare potest rescripta (can. 47); denique error circa personae conditionem servilem (nempe circa personae qualitatem) irritat matrimonium (can. 1083 § 2 n. 3).

3. *Sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.* — Scilicet, primum ad normam iuris nostri, quo datur actio rescissoria, nedum propter laesionem ex dolo alieno, verum etiam *intra biennium ei, qui gravem ex contractu laesionem ultra dimidium ex errore* (nempe proprio) *passus est* (can. 1684 § 2). Deinde ad normam quoque iuris civilis, cum can. 1529 Legislator caveat: *Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.* Contractus igitur, quos ius civile in territorio vigens, ex errore circa accessoria, tanquam rescindibiles et fortasse irritos habet, et iure nostro irriti aut rescindibiles sunt.

Can. 105.

Cum ius statuit Superiorem ad agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum:

1° *Si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit; si consilium tantum, per verba, ex. gr. « de consilio consultorum » vel « audito Capitulo, parocho », etc., satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat; quamvis autem nulla obligatione teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi, multum tamen, si plures audiendae sint personae, concordibus earundem suffragiis deferat, nec ab eisdem, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, discedat;*

2° *Si requiratur consensus vel consilium non unius tantum vel alterius personae, sed plurium simul, eae personae legitime convocentur, salvo praescripto can. 162 § 4, et mentem suam manifestent; Superior autem pro sua prudentia ac negotiorum gravitate potest eas adigere ad iusiurandum de secreto servando praestandum;*

3° *Omnes de consensu vel consilio requisiti debent ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate sententiam suam aperire.*

1. Quaedam Legislator hic addit de validitate actuum quorundam, cum ad agendum a iure requiritur *aliquarum personarum consensus vel consilium.* Est igitur habendus hic canon, tanquam earum locutionum Codicis interpretatio authentica. Et in primis aliud est consensus, aliud consilium. Is proprie consentire dicitur, qui cum alio sentit, qui nempe eodem modo atque alius sentit, eodem substantialiter modo agendum esse censet. Quare in consensu duo sunt: identitas opinationum, identitas voluntatum. Contra, is suum consilium dare dicitur, qui nihil aliud facit, quam alteri aperire opinationem suam, in quam alter aut convenire aut non convenire potest: quare, ut consilium datum esse dicatur, neque substantialis identitas opinationum requiritur, neque proinde identitas voluntatum. Hinc omnia diffluunt, quae in canone habentur.

2. *Si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit.* — Tum nempe Superior debet: 1°) earum personarum votum exquirere, seu, ut postea canon ait, eas personas, antequam agat, *audire*; 2°) Contra earundem votum non agere, nimirum si non eaedem substantialiter sint opinationes atque voluntates. Si aliter agit, invalide agit: consensus namque requiritur, qui sine ea identitate non intelligitur. Sequitur: *Si consilium tantum, per verba ex gr. « de consilio consultorum » vel « audito Capitulo, parocho » etc., satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat.* — Hic de consilio agitur, non de consensu; proinde ad valide agendum sufficit Superior eas personas audiat, videlicet ut earum votum exquirat, idque propter gravitatem quorundam negotio-

rum. Uno verbo: audiendarum personarum tum est ratiocinari, agere vero Superioris. Ideoque si audierit, Superior valide agit, etiamsi earum opinationes ac voluntates cum sua non conveniant; contra, inauditis personis illis, agit invalide. Quod probe advertendum est, quoties locutiones: *de consilio consultorum, audito Capitulo* vel aliae huiusmodi reperiantur: agitur enim tum, et *a fortiori* cum consensus exigitur, de lege irritanti. — *Illas personas audiat.* Auditur, qui loquitur. Is vero proprie loquitur, qui verbis id facit; improprie, qui nutibus aut litteris. Prima igitur fronte, videtur ius commune requirere, ut ii, quorum consensus aut consilium exigitur, nedum rogandi sint, sed etiam suam de facto sententiam Superiori patefaciant. Quod si ita esset, sequeretur Superiorem, qui sententiam quidem rogavit, at cui roganti responsum non est, valide agere non posse. Tamen verius, hac in re distinguendum videtur. Si consensus exquisitus fuerit, sine dubio usque dum consensus exhibitus non est, Superior invalide agit: consensus enim expresse exigitur, nec, regulariter, qui tacet consentire videtur. Potest tamen consensus et verbis, et nutibus, et scripto et facto etiam manifestari. Contra, si persona, cuius consilium exquisitum fuerit, respondere de trectet, videtur Superior valide agere posse: censetur enim respondisse, nihil se consilii, quod praestet, habere.

3. *Si requiratur consensus vel consilium plurium simul, eae personae legitime convocentur.* — Primum animadvertendum est, hanc legem non esse irritantem: quare etiam deficiente legitima convocatione, dummodo consensus praebeatur aut consilium exquiratur, Superior valide agit; illicite tamen, si iusta causa non subsit. Deinde videndum est quidnam Legislator significare voluerit per verba *plurium simul.* Revera Codex quandoque cavet, ut una tantum physica persona audiatur: ex c. *audito parocho* (can. 476 § 3 et 4); quandoque vero, ut persona moralis: ex c. *audito Capitulo* (per Codicem passim); quandoque etiam plures personae: ex c. *dummodo accesserit consensus tum Capituli cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest* (Can. 1532 § 3). Quid ergo? Ex contextu, per verba *plurium simul,* videtur Legislator loqui de personis collegialibus, ut est Capitulum, nec non de iis physicis personis, quae coetum constituunt, ut est Consilium administrationis. Nimirum, personae huiusmodi debent legitime convocari: Codex autem *ius commune,* quoad ea *quae convocationem respiciunt, prostare* docet *in can. 161* (can. 697 § 2). Quare, congruis congrua referendo, convocatio facienda est ad normam peculiarium statutorum vel consuetudinum (can. 161 § 1), quae si desint, per praesidem collegii (ibid.) vel coetus, statuto modo, loco ac tempore; si quis ex vocandis neglectus et absens fuerit, actus valet, sed a competente Superiore debet ad eius instantiam irritari (ibid. § 2); quod si plures quam tertia pars audiendorum neglecta fuerit, actus est ipso iure nullus (ibid. § 3).

Convocatione autem legitime secuta, ius respondendi pertinet ad eos, qui praesentes sunt (can. 163), quicumque sit eorum numerus.

4. *Salvo praescripto can. 162 § 4.* — Quod praescriptum huius est tenoris: *Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint*, eodem plane modo, quo non obstat absentia, si nulla fuerit praetermissio. Absonum videri potest, § 4 can. 162 firmari, dum totius canonis, uti vidimus, habenda est ratio. Id autem ex eo factum esse videtur, quod, cum Legislator dixerit: *eae personae legitime convocentur*, subesse poterat dubium, num per haec verba canon specialiter derogare voluisset normae generali de convocationibus, quae § 4 can. 162 continetur; ac proinde legitimam convocationem adeo esse necessariam, ut, hoc in casu, praetermissi praesentia nihil conferret ad validitatem actus.

5. *Omnes de consensu vel consilio requisiti debent sententiam suam aperire.* — Supra dixerat: *mentem suam manifestent*; hic, *sententiam suam, qua par est reverentia*, etc. Igitur non per secreta suffragia ad apicem iuris, sed *de plano* et familiariter, qua par est reverentia, fide ac sinceritate. Nihilominus, secreta suffragia, si id opportunum videatur, minime excluduntur. Iubentur itaque requisitae personae sententiam suam aperire, ideoque invitationi renitentes non esse, nisi iustam habeant causam excusationis, iudicio Superioris perpendenda, negotii quoque habita ratione. Extra hanc causam muneri se subtrahere illicitum est.

Can. 106.

Circa praecedentiam inter varias personas seu physicas seu morales serventur normae qua sequuntur, salvis normis specialibus quae suis in locis traduntur:

1° *Qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam; sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus qui intersunt proprio;*

2° *Cui est auctoritas in personas sive physicas sive morales, eidem ius est praecedentiae supra illas;*

3° *Inter diversas personas ecclesiasticas quarum nulla habeat in alias auctoritatem: qui ad gradum potiorem pertinent, praecedunt eis qui sunt inferioris gradus; inter eiusdem gradus personas sed non eiusdem ordinis, qui altiorem ordinem tenet, praecedit iis qui in inferiore sunt positi; si denique ad eundem gradum pertineant eundemque ordinem habeant, praecedit qui prius est promotus ad gradum; si eodem tempore promoti sint, senior ordinatione, nisi iunior ordinatus fuerit a Romano Pontifice; et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate;*

4° *In praecendentia diversitas ritus non attenditur;*

5° *Inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus, illa prae-*

cedit quae est in pacifica quasi possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, uti quaestio oritur, instituta est; inter sodales vero alicuius collegii, ius praecedentiae determinetur ex propriis legitimis constitutionibus; secus ex legitima consuetudine; qua deficiente, ex praescripto iuris communis;

6° *Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos, ratione habita principiorum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum, et munerum ipsis commissorum; et omnes de praeceden tia controversias, etiam inter exemptos, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque;*

7° *Circa personas quae ad Domum pontificalem pertinent, praecedentia moderanda est secundum peculiaria privilegia, regulas et traditiones eiusdem pontificiae Domus.*

1. Videamus igitur et de praecedentiis personarum: modo enim haec etiam materia, si de ea *servato iudiciario ordine* aut *in linea disciplinari disceptetur* (Pius Pp. X const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908 § 1 n. 8 et can. 250 § 3), ad ius nostrum pertinet, quamvis antea, ut perspici potest ex fontibus, semper ad provinciam liturgicam pertineret. Quantum fieri potest, paucis me expendiam. Itaque agitur in canone de iuribus, ad personas in genere sive physicas sive morales spectantibus ratione ordinis, quo debent sibi succedere, cum simul consistunt. Et Legislator, ut locus expostulat, exhibet hic principia generalia, salvis normis specialibus, quae suis in locis traduntur, quaeque possunt cum his aut convenire aut non convenire.

2. *Qui alius personam gerit ex eadem obtinet praecedentiam.* — Ex. c. canonicus ecclesiae cathedralis Episcopi, Ordinarii sui, personam sustinens, habendus est, quoad praecedentiam, illius Episcopi loco: qui enim personam gerit alius, qua talis propriam exuit. Sed est exceptio: *Qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus, qui intersunt proprio.* — Conciliis similes sunt ex. c. conventus Episcoporum ac Synodi dioecesanae. Itaque, qui Concilio oecumenico (cfr. can. 224 § 1), plenario aut provinciali (cfr. can. 287), iubentur; qui vero ad alios huius generis conventus interesse nequeunt, procuratorem mittere non vetantur. Eiusmodi autem procuratores sedent, non quidem in loco eius, cuius personam gerunt, sed post omnes eos, qui illi sunt gradu aequales ac intersunt nomime proprio. Ita ex. c. dignitarius Capituli cathedralis, qui, tanquam Episcopi suffraganei procurator, interest Concilio provinciali, non sedet in loco, ubi eum Episcopum sedere oportebat, sed post omnes Episcopos suffraganeos, qui personaliter intersunt.

3. Sequitur: *Cui est auctoritas in personas, eidem ius est praeceden-*

tiae supra illas. — Canon de auctoritate loquitur, non de potestate iurisdictionis : ideoque cuiusvis generis auctoritas intelligenda est. Quare et Vicarius generalis universo clero dioecesis, et Antistita omnibus religiosis mulieribus sibi subiectis, et prior confraternitatis cunctis sodalibus praecedit.

4. *Inter diversas personas ecclesiasticas quarum nulla habeat in alias auctoritatem: qui ad gradum potiorem pertinent*, etc. — Quid nomine gradus? Gradus non intelliguntur sine hierarchia. Est autem proprie in Ecclesia hierarchia duplex : ordinis et iurisdictionis. Hierarchiae ordinis duo potissimum sunt gradus, de quibus in praxi ratio haberi contingit: episcopatus atque presbyteratus ; sed de his postea. Hic nomine gradus, videntur, fere antonomastice, gradus iurisdictionis significari, vel melius, ut supra Legislator aiebat, auctoritatis, quo nomine cuiusvis generis potestas continetur. Est igitur hic auctoritas, qua quis gaudet vel quam participat, graduum fundamentum. Et haec quidem auctoritas (ac proinde gradus) quandoque est stabilis, quandoque, veluti in Legatis *a latere* ac Visitatoribus apostolicis, temporaria ; quandoque de facto exercetur, quandoque, velut accidit in Episcopis titularibus, de facto non exercetur ; constitui vero ac definiri potest, ab homine vel a iure sive communi sive particulari.

5. *Inter eiusdem gradus personas, qui altiorem ordinem tenet praecedit*, etc. — Hic ordo accipi videtur duplici significatione : 1°) pro effectu sacrae ordinationis ; 2°) pro serie personarum, quae ad exemplar sacrorum ordinum in quibusdam collegiis reperiuntur, veluti in s. Cardinalium collegio, vel quandoque in Capitulis canonicorum. Quare si fortasse duarum personarum idem sit gradus, at non idem ordo, ea praecedit, quae altiorem ordinem tenet : ex. c. duorum Praelatorum *nullius*, quorum aliis Episcopus sit, alius non Episcopus, Episcopus praecedit ; duorum canonicorum, quorum alter ad ordinem presbyteralem, alter ad diaconalem pertineat, praecedit ordine presbyter. Quod si ratio praecedentiae, neque ex gradu erui potest neque ex ordine, eruitur primo ex tempore promotionis ad gradum, deinde ex tempore promotionis ad ordinem. Ac si ne id quidem fieri potest, ratio praecedentiae demetitur aetate personarum. Et minime attenditur ritus diversitas.

6. Hactenus de praecedentia personarum physicarum : modo de personis moralibus. *Inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus, illa praecedit, quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae.* — Personarum moralium considerari potest genus, species, gradus. Genera sunt ex. c. religiones, Capitula canonicorum, associationes laicorum ; species sunt ex. c. Congregationes monachorum, Capitula cathedralia, confraternitates ; gradus alius est ex. c. religioni clericali et alius laicali ; alius Capitulo cathedrali et alius collegiali ; alius confraternitati et alius piae unioni. Iam vero, si agatur de personis moralibus diversi

gradus et speciei (et *a fortiori* generis), de praecedentiis Codex suis in locis decernit (cfr. can. 491 et 701); si vero agatur de personis eiusdem speciei et gradus, hic praecedentiae normae traduntur. Et primum ea praecedit, quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae. Canon non loquitur de iure, sed de quasi-possessione praecedentiae, quae pacifica sit, nemine reclamante. Requirituine legitima praescriptio ? Iuxta tenorem legis puto non requiri : etenim possessio rei aut quasi-possessio iuris factum designat non ius ; et haec est ratio, quare Legislator vult quasi-possessionem esse pacificam : pacificam, inquam, non legitimam, tum enim aliis verbis esset locutus. Cetera, quae sequuntur, explicatione non indigent.

7. *Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere,* etc. — Sed Ordinarius non arbitrarie decernere debet, verum ex criteriis a iure statutis, nempe ordinatim : 1°) ex principiis iuris communis hoc canone contentis ; 2°) ex legitimis consuetudinibus particularibus ; 3°) ex muneribus et officiis, quae personis in causa commissa sunt, et circa quae nihil forte ius commune aut consuetudo de praecedentia statuerit. — *Item omnes de praecedentia controversias,* etc. Intra fines dioecesis omnium controversiarum de praecedentia, cum casus moram non patitur, iudex est Ordinarius, salva ad Ap. Sedem appellatione in devolutivo. Ideoque, his in casibus, Ordinarii iussionibus omnes parere tenentur, exempti quoque ab eius iurisdictione, si cum Ordinarii subditis collegialiter procedant : tum enim et ipsi hac in re indirecte subditi fiunt. Tandem de praecedentia personarum Domus pontificiae, quae peculiaribus normis ac privilegiis, itemque vetustis traditionibus regitur, Praefectus caeremoniarum pontificalium viderit.

Can. 107.

Ex divina institutione sunt in Ecclesia « clerici » a « laicis » distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis ; utrique autem possunt esse « religiosi ».

1. Hactenus Legislator egit de qualitatibus generalioribus, quae ad statum personarum ecclesiasticarum efficiendum potissimum concurrunt ; modo ad genera, quae ad species propius accedunt, descendit. Hoc igitur canone tria facit : — 1°) principium fundamentale proponit : esse nempe partitionem personarum ecclesiasticarum in clericos ac laicos iuris divini ; — 2°) docet, non omnes clericos esse divinae institutionis ; — 3°) quae sit summa personarum divisio in Codicem recepta tradit.

2. Itaque : *Ex divina institutione sunt in Ecclesia « clerici » a « laicis » distincti.* — *Clericus,* ait D. Hieronymus (ep. 52 n. 5 *opusc.* XI, 146), *interpretetur vocabulum suum : et nonnisi definitione prolata nitatur*

esse quod dicitur : si enim κλῆρος *graece, « sors » latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, idest pars, clericorum est.* Clericum (can. 109 § 1) prima tonsura facit, qua quodammodo, tonso capillo, videtur mundi illecebris valedicere atque divinis ministeriis mancipari. Qui vero divinis ministeriis per primam tonsuram mancipati non sunt, laici dicuntur, idest (a λαός, populus, turba) populares, profani. Iam vero, haec personarum ecclesiasticarum in clericos ac laicos partitio, iure divino introducta est. Videamus igitur quodnam sit huius doctrinae fundamentum, quae, praesertim a protestantismi fautoribus, acerrimis controversiis agitata ac impugnata est. Scilicet neminem latet, Christum Dominum ex discipulorum multitudine (Luc. VI, 13) quosdam *elegisse, quos apostolos nominavit* (καὶ ἐκλεξάμενος . . . ἀποστόλους ὠνόμασεν); atque eos (Io. XX, 21) ita esse allocutum : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (καθὼς ἀπέσταλκέν με ὁ πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς). Itaque Christus quosdam eligit. Qua de causa ? Vult eos eorumque successores esse apostolos, nempe nuncios, legatos, apud omnes populos, qui incolunt orbem. Qua auctoritate ? Sua. Alia superaddere opus non est. Nimirum habemus legatos, qui a Christo ad populos mittuntur cum auctoritate supernaturali. *Sicut misit me Pater.* Possuntne isti populo, cui mittuntur, pares haberi ? Et si pares haberi non possunt, cuinam tribuenda est origo inaequalitatis ? Hinc S. Clemens Pp. I (ep. *Propter subitas*, c. 40) ait : *Domini enim mandata* (quae videlicet sub sequentibus verbis continentur) *sequentes non aberrant. Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius adsignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis obstringitur* (1). Putat Funk (*Patres apostolici,* Prol. p. XXXVI, II) epistolam a. 93-97 scriptam fuisse. Hinc etiam Patres Concilii Tridentini (sess. XXIII, *de ordine,* can. 4) : *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non imprimi characterem ; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, a. s.*

3. Sequitur : *Licet non omnes clerici sint divinae institutionis.* — Non omnes clerici sunt divinae institutionis, sed tantummodo Episcopi, presbyteri ac diaconi. Ceteri clerici iure mere ecclesiastico consistunt. Idque patet ex eo *quod,* ut ait Gasparri (*Tract. de s. ordinat.* n. 33), *eorum divina institutio ex una parte non probatur et ex alia excluditur tum exemplo Ecclesiae Orientalis, quae exorcistatum* (*sicuti nec acolythatum et ostiariatum explicite*) *in suis euchologiis nunquam recensuit a duodecim saltem saeculis ; tum ex eo, quod aetate Apostolorum et primis duobus saeculis omnes ii gradus non videntur neque in Oriente, neque in*

(1) Τοῖς γὰρ νομίμοις τοῦ δεσπότου ἀκολουθοῦντες οὐ διαμαρτάνουσιν. Τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσίν, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευίταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ λαικὸς ἄνθρωπος τοῖς λαικοῖς προστάγμασιν δέδεται.

Occidente extitisse. Si enim ii gradus fuissent a Christo D. revera instituti, Ecclesia eos omnes semper et formaliter habuisset. Quare et Urbanus Pp. II in Concilio Beneventano (a. 1091 can. 1): *Nullus*, ait, *deinceps in episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse.* Eodemque modo loquitur Aquinas (in c. 3 *epist. I ad Timoth.* lect. 2). Inferiores autem ordines primus recenset Cornelius Pp. I (a. 255) in epistola ad Fabium Antiochenum. Non ergo omnes clerici sunt divinae institutionis, nec proinde sunt omnes iure divino a laicis distincti.

4. *Utrique autem possunt esse religiosi.* — Tum clerici tum laici, religiosi esse possunt. Fiunt autem religiosi, per votorum nuncupationem iuxta constitutiones quasdam : si votum demas, non restat nisi clericus aut laicus. Ibi igitur de religiosis agere oporteret, ubi de voto. Tamen, tum quia religiones, qua tales, plurimum contulerunt ad Ecclesiae incrementum ; tum presertim quia, praeter constitutiones singulas, multa religiosis communia sunt, ideo uti peculiare personarum genus haberi coeperunt. Unde summa personarum ecclesiasticarum divisio in Codicem recepta haec est, ut alii clerici sint, alii laici, alii religiosi. Et primum de clericis in genere.

PARS PRIMA

DE CLERICIS

SECTIO PRIMA

DE CLERICIS IN GENERE

Can. 108.

§ 1. *Qui divinis ministeriis per priman saltem tonsuram mancipati sunt, clerici dicuntur.*

§ 2. *Non sunt omnes in eodem gradu, sed inter eos sacra hierarchia est in qua alii aliis subordinantur.*

§ 3. *Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris; ratione iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere.*

1. Canon, cum duobus sequentibus est de hierarchiae constitutione, ac nominibus clericorum. *Qui divinis ministeriis*, etc. — Uti supra diximus (cfr. c. ad can. 107 n. 2) in Ecclesia latina (1) prima tonsura clericos facit. Ritus huiusmodi, ab Ecclesia institutus (ibid.) in tonsione capillorum ac prolatis verbis essentialiter consistit. Haec autem sunt verba: *Dominus pars hereditatis meae et calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.* Hinc patet, primam tonsuram neque ordinem esse neque sacramentum. Non sacramentum: quia institutionis ecclesiasticae; non proprie ordo: quia nullam potestatem confert. Saepius tamen lata significatione ordo dicitur (cfr. can. 950). Est igitur prima tonsura sacramentale, quo laicus baptizatus ac confirmatus (can. 974

---

(1) *Sunt Orientales*, ait Wernz (*Ius decret.* II n. 15, nota 18), *qui tonsuram simpliciter praetermittunt; alii, velut Armeni, adoptarunt praxim Ecclesiae latinae; alii v. g. Graeci et Syrii Nestoriani et Copti primam tonsuram lectoratui praemittunt* (cfr. Synod. Alexandr. Copt. a. 1898 p. 134), *ideoque distincte non enumerant denique Maronitae et Syrii cantoratui sive exorcistatui, qui apud ipsos est primus ordo minor, ritus primae tonsurae coniungunt.* Cfr. Bened. XIV Constit. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742 § 7 n. VII; Conc. prov. Alba-Iul. a. 1872 p. 88; Synod. Mont. Liban. a. 1736 etc.

§ 1. n. 1) divinis ministeriis mancipatur ac inter clericos adsciscitur cum iuribus atque obligationibus communibus clericorum.

2. Sequitur: *Non sunt omnes in eodem gradu,* etc. — Inter laicos nullus est gradus, sed omnes coram Ecclesia pares sunt; contra, clerici in gradu ecclesiasticae hierarchiae constituuntur. *Est hierarchia* (a ἱεραρχέω), ait auctor libri *De coelesti hierarchia* (cap. III, 1), *sacer ordo, et scientia, et actio quae ad deiformitatem, quantum fas est accedit, atque insitis sibi divinitus illustrationibus proportione quadam ad Dei subvehitur imitationem. Porro ea quae Deum decet pulcritudo, ut simplex, ut bona, ut origo perfectionis, nulli omnino est admixta dissimilitudini, sed pro cuiusque merito cuilibet lumen suum impertitur, et in sacramento divinissimo, ad immutabilitatis suae speciem transformando consummat.* Ni fallimur, difficile erat gravioribus verbis nostrae quoque hierarchiae et naturam et finem definire. Siquidem Ecclesiae finis, quantum humanae naturae fas est, in coniunctione atque hominum cum Deo assimilatione consistit; idque et scientia et actione fit. Unde Ecclesiae magisterium, ministerium, regimen: magisterium quidem ac regimen, quibus sua auctoritate fidelium mentes illustrat atque ad agendum impellit: ministerium vero, quo sacramentorum multiformi virtute confirmat. Hinc hierarchia duplex: ordinis ac iurisdictionis.

3. *Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat,* etc. — Summi tres gradus ecclesiasticae hierarchiae ordinis iure divino consistunt. Legislator Patrum Concilii Tridentini verba adhibet. Decreverat enim Concilium (sess. XXIII *de ordine,* can. 6); *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, a. s.* Verum, proprie loquendo, diaconi tantum tanquam ministri habendi sunt (cfr. Gasparri, *Tract. canon. de s. ordinat.* I n. 29). Tres igitur illi gradus ex divina institutione oriuntur, ac proinde ubique in Ecclesia reperiuntur eodemque modo conferuntur. Ad rem Gasparri (ibid. n. 31): *Ecquidem sacrae litterae non indicant quandonam Christus D. has ordinationes, relativam potestatem conferentes, instituerit, quod et de pluribus aliis sacramentis verum est; forte eas instituit eo tempore, quo a mortuis redivivus, per quadraginta dies cum suis Apostolis commoratus est, loquendo de regno Dei. In ultima coena Christus D. illis verbis: « Hoc facite in meam commemorationem », absque ritu externo, ideoque absque proprie dicta ordinatione, fecit Apostolos sacerdotes quantum ad protestatem principalem, idest potestatem sacrificandi, uti definivit* Conc. Trid. sess. XXII can. II; *imo et episcopos, cum ipsis fecerit potestatem presbyteros ordinandi, eo ipso quod instituit sacramentum altaris perpetuo duraturum in Ecclesia ab ipsis Apostolis primitus conficiendum.* Ac deinde (ibid. n. 32): *Posita autem divina horum trium graduum institutione, non constat quaenam fuerit prima ordinatio episcopalis, vel prima ordinatio presbyteralis ab*

Apostolis facta, licet ex actis Apostolorum et ex epistolis S. Pauli constet plures ab eisdem constitutos fuisse episcopos. Prima ordinatio diaconalis fuit ordinatio septem diaconorum de qua Act. VI, 1 seq.

4. Sequitur: *Ratione iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato.* — Ambo videlicet gradus, ut etiam supra vidimus (cfr. c. ad can. 100 n. 1 et ad can. 108 n. 2), divinitus sunt instituti. Quare Concilium Vaticanum (sess. IV): *Docemus itaque et declaramus iuxta evangelii testimonia, primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo.... collatum a Christo Domino fuisse* (ibid. cap. 1). *Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet* (ibid. cap. 2). *Et Concilium Tridentinum* (sess. XXIII cap. 4): *Proinde sacrosancta Synodus declarat.... episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt... positos, sicut idem Apostolus* (D. Paulus Act. XX, 28) *ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei.* — Deinde sequitur: *Ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere.* Alii accesserunt gradus in utraque hierarchia. Scilicet, demptis episcopatu, presbyteratu, diaconatu in herarchia ordinis; item supremo pontificatu atque episcopatu in hierarchia iurisdictionis, ceteri gradus, qui nunc extant, iure mere ecclesiastico introducti sunt. Ideoque, in Ecclesia Latina, subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus, sunt ecclesiasticae institutionis (cfr. c. ad can. 107 n. 2). Eodemque iure censendi sunt gradus, qui, praeter summum pontificatum ac episcopatum, nunc temporis in hierarchia iurisdictionis reperiuntur, sive episcopatu superiores (veluti gradus Legati R. P., Patriarchae, Primatis, Archiepiscopi), sive inferiores fuerint (veluti canonici poenitentiarii aut parochi gradus).

Can. 109.

Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione adleguntur; sed in gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione; in supremo pontificatu, ipsomet iure divino, adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis; in reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione.

1. Hucusque vidimus, quemadmodum laicus in statu clericali constituatur, quinam sint et quo iure consistant gradus ecclesiasticae hierarchiae; modo videndum est, quomodo clericus ad eosdem gradus evehatur. *Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi* etc. — Quod clericus in gradu hierarchiae ecclesiasticae constituatur, neque populi neque auctoritatis civilis voluntate fit: siquidem ambo incompetentes sunt ad potestatem tradendam, quae saltem ratione finis semper est

supernaturalis. Quare, hac in re, sicut antiquitus Valdenses, Wicleff, Husz, Marsilius Patavinus, Joannes de Janduno, Lutherus, Calvinus eorumque adseclae, ita aetate nostra Harnack et alii, haud parum a veritate aberraverunt. Primo igitur Legislator excludit competentiam tum populi tum civilis auctoritatis. Deinde, undenam repetenda sit origo potestatis, cum gradibus ecclesiasticae hierarchiae coniunctae, expresse edicit.

2. *In gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione.* — Quod probe intelligendum est. Revera, uti supra demonstravimus (cfr. c. ad can. 107 n. 2 et 108 n. 3), quilibet ordo ac proinde sacra ordinatio, qua ordo confertur, aut iure divino aut mere ecclesiastico introductus est. Iam vero, si de ordine agatur divinitus instituto, nulla humana potestas circa eum quicquam potest; ideoque et sine ordinatione nunquam suscipitur, et qui legitime susceperit, de eo deiici nunquam potest: imprimit enim in animam indelebilem characterem. At alia res est, si agatur de ordine iure ecclesiastico introducto: tum enim et potestas ab eodem profluens sine ordinatione potest acquiri, et, sive ex ordinatione sive praeter ordinationem acquisita, absolute loquendo potest amitti. Id tamen fieri non potest, nisi contra ius commune, ac proinde tantummodo per factum Ap. Sedis: iure namque communi quaelibet sacra ordinatio, semel recepta nunquam irrita fit (can. 2 11), siquidem ordines, quos Ecclesia introduxit, ad exemplar sacramentorum introducti sunt, et ideo, ex Ecclesiae voluntate, quendam et ipsi in animam characterem imprimunt, non quidem sacramentalem, sed iuridicum, ita ut iterari non possint. Haec de potestate ordinis: nunc de iurisdictionis potestate.

3. *In supremo pontificatu ipsomet iure divino, adimpleta,* etc. — In hierarchia iurisdictionis, aliud est gradum quendam esse divinae institutionis, et aliud clericum in eodem gradu constitui. Scilicet, dum in gradibus potestatis ordinis, qui divinitus instituti sunt, non potest clericus nisi divinitus per sacramentum ordinis constitui; contra, id non semper contingit in gradibus iurisdictionis: nempe contingit quidem in supremo pontificatu, minime vero in episcopatu subordinato. In supremo pontificatu, ait canon, quis constituitur *ipsomet iure divino,* idest immediate a Deo: cum enim agatur de auctoritate suprema, ab humana potestate constitui non potest. Cum vero Christus Dominus nihil de conditionibus huiusmodi constitutionis statuerit, id Ecclesiae relinquitur. Inde diversa praxis, pro temporum varietate servata, in Romanis Pontificibus designandis; inde tres modi, nempe per conspirationem, per compromissum, per scrutinium in Pii Pp. X constit. *Vacante Sede Apostolica* (25 dec. 1904, cap. V) statuti; inde hic canon ait: *adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis.* Designatio igitur, iuxta vigens Ecclesiae disciplinam, per electionem, ad normam iuris

peractam, facienda est, electique acceptatio accedere debet: electi, inquam, non alius cuiuscumque acceptatio. Electio Pontificem designat, acceptatio iuridicum actum perficit: hisque extantibus, iure divino Romanus Pontifex constituitur (cfr. can. 219), eodem fere modo, quo constituitur suprema civilis auctoritas, adimpletis conditionibus a iure civili publico requisitis. Idque, ut supra diximus, contingit in romano pontificatu, non autem in episcopatu, neque in ceteris gradibus hierarchiae iurisdictionis.

4. Quare sequitur: *In reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione.* — Reliqui gradus tot sunt, quot sunt in Ecclesia gradus iurisdictionis praeter supremum pontificatum. Et primum episcopatus. Actum igitur est de sententia eorum, qui contendebant iurisdictionem Episcopis, vel in actu consecrationis vel confirmationis a R. P. factae, a Deo immediate acquiri: dum enim Codex docet, episcopatum, et qua gradus est hierarchiae iurisdictionis, iure divino consistere, simul animadvertit, hoc in gradu clericum constitui per canonicam missionem, nempe, ut verbis Pii Pp. VI (constit. *Super soliditate,* 21 nov. 1786) utamur, *a Romano Pontifice Episcopos auctoritatem suam recipere, quemadmodum ipse a Deo supremam suam auctoritatem accepit.* Recipiunt igitur per nominationem, si a R. P. nominati fuerint; per R. P. confirmationem aut institutionem canonicam, si ab aliis fuerint designati, electi, praesentati (cfr. can. 148 et 332 § 1). Eodemque iure censetur in ceteris gradibus iurisdictionis clerici constitutio, ita ut nullum possit officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri (can. 147 § 1).

CAN. 110.

Quamvis Praelati titulo honoris causa, a Sede Apostolica etiam nonnulli clerici donentur sine ulla iurisdictione, proprio tamen nomine Praelati in iure dicuntur clerici sive saeculares, sive religiosi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent.

Canon interpretationem authenticam exhibet de *praelati* appellatione, quae haud raro in Codice reperitur. Sunt, ait Legislator, clerici, qui praelati dicantur honoris causa, quamvis nulla iurisdictione gaudeant. Praelati huiusmodi nomen sunt sine re. In iure, ut quis praelatus habeatur, oportet: 1°) praeditus sit iurisdictione: et ideo praelati ex. c. non sunt Capitulorum dignitates aut canonici, neque Superiores religionum non exemptarum, praesertim si fuerint iuris dioecesani; 2°) haec iurisdictio ordinaria sit: quare ex. c. praelatis non accensetur delegatus episcopalis, imo etiam R. P.; 3°) forum externum respiciat: ac proinde neque canonicus poenitentiarius, neque parochus tanquam

praelati habendi sunt. Contra, praelatus est Ordinarius dioecesanus, Vicarius generalis et Curiae officialis; praelati sunt omnes Superiores maiores religionum exemptarum.

TITULUS I.

DE CLERICORUM ADSCRIPTIONE ALICUI DIOECESI.

Can. 111.

§ 1. *Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum ita ut clerici vagi nullatenus admittantur.*

§ 2. *Per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur seu, ut aiunt, « incardinatur » dioecesi pro cuius servitio promotus fuit.*

1. Nihil tam alienum est a vocatione clericorum quam vitam agere inertem et otiosam. Haec ratio, quare, ut ait Concilium Tridentinum (sess. XXIII *de reformat.* cap. 16), *nemo debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis.* Hinc, nedum prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum (can. 973 § 1), sed praeterea, eadem de causa, clericus nemo fit, nisi pro servitio alicuius dioecesis, cui ipso facto adscribitur. Titulus est de incardinatione et excardinatione clericorum, eorum nempe qui proprie clerici dicuntur, idest non religiosi: de religiosis in altera huius libri parte. Scilicet, postquam egit de constitutione baptizatorum in statu clericali atque in ecclesiastica hierarchia, Legislator noster de eorum adscriptione alicui dioecesi tractat, eodem plane modo, quo, initio huius libri, prius egerat de constitutione personarum ecclesiasticarum in genere, ac postea de earundem domicilio et quasi-domicilio.

2. *Quemlibet clericum oportet esse alicui dioecesi*, etc. — Clericus, qua est homo baptizatus, sicut ceteri omnes, iuribus fruitur ac obligationibus tenetur, quae ex domicilio aut quasi-domicilio ecclesiastico nascuntur. Sed insuper, qua clericus est, per incardinationem in dioecesi Ordinarium proprium sortitur, cui in primis et praesertim parere debet, ubicumque reperiatur, independenter a domicilio et quasi-domicilio. Et hoc velut alterius domicilii peculiare genus, quamvis alio et alio modo, religiosis quoque commune est. Hinc canon: *Oportet esse alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum.* Et sicut clericus saecularis, qua homo baptizatus est, peregrinus dicitur cum extra suum domicilium et quasi-domicilium versatur (can. 91), ita, qua clericus, dicitur peregrinus cum degit extra dioecesim, cui adscriptus est.

3. *Ita ut clerici vagi nullatenus admittantur.* — Vagus dicitur, qui nullibi domicilium aut quasi-domicilium habet (ibid.); et hoc modo omnes personae physicae ecclesiasticae vagari possunt, eisque ius peculiariter consulit (can. 94 § 2). Ratione vero adscriptionis seu *incardinationis*, ille clericus vagari diceretur, qui neque dioecesi neque religioni esset adscriptus; et hac de causa, clericus vagus nec admittitur, nec dari potest. Clericus, qua talis, vagari non potest, dum clericus est.

4. Idque quia: *Per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur dioecesi pro cuius servitio promotus fuit*: nempe ad statum clericalem, per primam tonsuram. Proinde, ipso facto, quo quis clericus fit, *dioecesi incardinatur*, et quin incardinetur clericus fieri non potest. Religiosus vero ad primam tonsuram, hoc est ad statum clericalem, admitti nequit, quin novitiatum expleverit (can. 567 § 2): expletur autem novitiatus per religiosam professionem, qua ipso facto religioni adscribitur.

CAN. 112.

Praeter casus de quibus in can. 114, 641, § 2, ut clericus alienae dioecesi valide incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardinationis perpetuae et absolutae; et ab Ordinario alienae dioecesis litteras ab eodem subscriptas incardinationis pariter perpetuae et absolutae.

1. Proposito principio de clericis vagis a iure non admissis, statutoque modo, quo incardinatio primo nascitur, Legislator modos recenset, quibus clericus in dioecesi incardinatus, in alia dioecesi incardinari potest.

2. *Praeter casus de quibus in can. 114, 641 § 2.* — Uterque casus religiosos respicit. De primo, infra: can. 114. Canon vero 641 § 2 loquitur de viro religioni adscripto, qui, obtento saecularizationis indulto, postulat, ut cuidam dioecesi incardinetur. Tum, ait canon, *Episcopus religiosum recipere potest sive pure et simpliciter, sive pro experimento ad triennium: in priore casu religiosus eo ipso est dioecesi incardinatus; in altero Episcopus potest probationis tempus prorogare, non ultra tamen aliud triennium; quo etiam transacto, religiosus, nisi antea dimissus fuerit, ipso facto dioecesi incardinatus manet,* nempe per tacitam incardinationem. Et cum, his in casibus, nulla peculiaris sollemnitas requiratur a iure, sufficit, ut incardinatio quomodocumque in foro externo probari possit. Hic modus, eos qui ex religione ad dioecesim transeunt, incardinandi. Sed est modus insolitus: modi autem consueti duo sunt. Primus modus est, per excardinationem et incardinationem expressam.

3. Unde canon subiungit: *Ut clericus alienae dioecesi valide incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet* etc. Et lex irritans est: proinde

et uno tantum requisitarum sollemnitatum elemento praetermisso, actus non perficitur. Requiritur vero: 1) ut excardinatio-incardinatio scripto fiat, non verbis aut nutibus; 2) ut litterae dentur tum ab Ordinario dioecesis *a qua*, tum dioecesis *ad quam*; 3) ut excardinatio-incardinatio in perpetuum concedatur: quare irrita est, si adiecta fuerit dies; 4) ut concedatur absolute: et ideo invalide conceditur, si conditio apposita fuerit; 5) ut litterae sint ab Ordinario, qui concedit, subscriptae. Ad rem S. Congr. Concilii (decr. 20 iul. 1898): *Incardinatio facienda est ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, idest nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxia; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur. Ad hanc vero incardinationem deveniri non potest, nisi prius ex legitimo documento constet alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum.*

Can. 113.

Excardinationem et incardinationem concedere nequit Vicarius Generalis sine mandato speciali, nec Vicarius Capitularis, nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et cum consensu Capituli.

Is excardinationem et incardinationem concedere censetur, qui litteris subscribit. Est igitur irritus actus, si, qui subscribit litteris, non habeatur a iure capax. Et de facto capax non habetur Vicarius generalis sine Episcopi speciali mandato, neque Vicarius capitularis, nisi praeterlapsus fuerit annus a vacatione sedis episcopalis et accesserit Capituli cathedralis consensus: onus enim incardinatum clericum providendi Episcopum ac dioecesim gravat. Censentur itaque subreptitiae litterae Vicarii generalis aut capitularis, in quibus nulla facta fuerit mentio mandati, aut elapsi anni, aut Capituli consensus.

Can. 114.

Habetur excardinatio et incardinatio, si ab Ordinario alienae dioecesis clericus beneficium residentiale obtinuerit cum consensu sui Ordinarii in scriptis dato, vel cum licentia ab eodem in scriptis concessa e dioecesi discedendi in perpetuum.

1. Haec quoque lex, qua alter modus excardinandi-incardinandi definitur, irritans est. Etenim: *Habetur excardinatio et incardinatio* (alias vero non habetur, est nempe actus irritus), *si ab Ordinario alienae dioecesis clericus beneficium residentiale obtinuerit.* — Canonis praescriptum naturae beneficii residentialis innititur. Est namque beneficium, utpote

morali personalitate gaudens, natura sua perpetuum: cum vero confertur, id fit ad vitam beneficiarii (can. 1438), et, si de clerico alienae dioecesis agatur, perinde ac si de subdito ageretur. Quod si beneficium residentiale fuerit, praesentiam corporalem beneficiarii per idem tempus expostulat. Quare beneficium residentiale concedere, idem est, ac si simul litterae incardinationis perpetuae et absolutae concederentur, ideoque huiusmodi beneficii collatio, incardinationem in dioecesi secumfert. At quia incardinatio actus unilateralis esse non potest, non intelligitur, nisi excardinatione praesupposita.

2. Unde sequitur: *Cum consensu sui Ordinarii in scriptis dato, vel cum licentia ab eodem* etc. — In primis animadvertendum est, et hoc in casu Vicarius generalis et capitularis eadem plecti nota incapacitatis, atque in can. 113. Tum vero sufficit simplex consensus: nam, sicut qui beneficium residentiale confert, incardinationem perpetuam et absolutam concedere censetur, ita et qui in hanc collationem consentit, recte censetur facto ipso excardinationem perpetuam et absolutam concedere. Quod vero licentia concedatur e dioecesi discedendi in perpetuum, in idem redit: siquidem licentia huiusmodi (quae etiam seorsum a qualibet beneficii collatione concedi potest), per se ex conceptis verbis, excardinationi perpetuae et absolutae aequipollet. Hoc igitur altero modo, non quidem expresse, sed aequivalenter locum habet excardinatio-incardinatio clericorum.

Can. 115.

Etiam per professionem religiosam quis a propria dioecesi excardinatur, ad normam can. 585.

Canon 585 haec habet: *Professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim.* Propriam quis dioecesim acquirit, cum per primae tonsurae collationem clericus fit (cfr. c. ad can. 111 n. 4). Qui igitur clericus religionem ingreditur, in qua vota perpetua nuncupantur per huiusmodi professionem, nedum religioni adscribitur, sed e dioecesi quoque simul excardinatur; sicut vicissim, uti supra diximus (cfr. c. ad can. 112 n. 2), obtento saecularizationis indulto, potest religione excribi et incardinari dioecesi. Quod tamen non praestat professio temporaria: quamvis enim et hoc professionis genere religioni quis adscribatur, non tamen adscriptio absolute et perpetuo fit; et ideo si clericus profiteatur, dioecesim, in qua in perpetuum et absolute incardinatus erat, non perdit (cfr. can. 641 § 2).

Can. 116.

Excardinatio fieri nequit sine iustis causis, et effectum non sortitur, nisi incardinatione secuta in alia dioecesi, cuius Ordinarius de eadem priorem Ordinarium quantocius certiorem reddat.

Nihil sine iusta causa agendum est; sed praesertim Ordinariis, iusta causa deficiente, ea vitanda sunt, quae vertunt in damnum dioecesis. Si vero, iuxta Concilii Trid. decreta (cfr. c. ad can. 111 n. 1) et can. 969, neminem ex saecularibus Episcopus ordinare debet, qui dioecesi *non sit necessarius vel utilis* (ibid.), non immerito in subiecta materia iustae causae requiruntur, ut excardinatio licita fiat. Id etiam nota dignum, *excardinationem effectum non sortiri, nisi incardinatione secuta*: tam verum est, clericos vagos nullatenus admitti! Haec de excardinatione.

Can. 117.

Ad incardinationem alieni clerici Ordinarius ne deveniat, nisi:

1° *Necessitas aut utilitas dioecesis id exigat, et salvis iuris praescriptis circa canonicum ordinationis titulum;*

2. *Ex legitimo documento sibi constiterit de obtenta legitima excardinatione, et habuerit praeterea a Curia dimittente, sub secreto, si opus sit, de clerici natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia, maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis; Ordinarius autem dimittens, graviter onerata eius conscientia, advigilare debet ut testimonia sint veritati conformia;*

3°. *Clericus iureiurando coram eodem Ordinario eiusve delegato declaverit se in perpetuum novae dioecesis servitio velle addici ad norman sacrorum canonum.*

1. Sicut excardinatio, ita etiam incardinatio, si iusta causa non suffragetur ac conditiones quaedam servatae non fuerint, illicita est et *Ordinarius ad incardinationem devenire* non debet. Iam vero iusta causa semper eadem est: *necessitas aut utilitas dioecesis,* cum nullum oporteat esse in dioecesi clericum inutilem atque otiosum.

2. *Salvis iuris praescriptis circa canonicum ordinationis titulum.* — Nimirum, *cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere* (Conc. Trid. sess. XXI, *de reformat.* cap. 2), haec de titulo ordinationis ius commune decernit: *Ut quis licite ordinari possit, requiritur:* 7° *Titulus canonicus, si agatur de ordinibus maioribus* (can. 974 § 1). Et quidem *pro clericis saecularibus titulus canonicus est titulus beneficii, eoque deficiente, patrimonii*

aut pensionis (can. 979 § 1). *Quod, si ne unus quidem ex hisce titulis praesto sit, suppleri potest titulo servitii dioecesis*, iureiurando interposito de dioecesi non derelinquenda. Tum autem *Ordinarius debet beneficium vel subsidium, ad congruam clerici sustentationem sufficiens, conferre.* (Can. 981). Denique ordinatus in sacris, si titulum amittat, alium sibi providere debet, *nisi iudicio Episcopi eius congruae sustentationi aliter cautum sit* (can. 980 § 1). Haec de titulo canonico ordinationis summatim protulimus, suo postea loco explicaturi. Age vero; si agatur de incardinatione aequivalenti (cfr. c. ad can. 114 n. 3), idest per beneficii collationem peracta, nulla de titulo quaestio; contra, si de expressa incardinatione agatur (cfr. c. ad can. 112 n. 3), incardinandus titulum, quem in sua dioecesi habet (beneficii et quandoque etiam pensionis) per excardinationem amittit. Quare, nisi, Episcopi recipientis iudicio, congruae eius sustentationis aliter sit cautum, aut debet sibi alium titulum tempestive providere, aut, si absque titulo incardinetur, providendi onus in Ordinarium incardinantem recidit.

3. *Ex legitimo documento sibi constiterit de obtenta legitima excardinatione.* — Itaque non sufficit, ut Ordinario, in cuius dioecesi quis est incardinandus, legitimum, idest authenticum, documentum obtentae excardinationis exhibeatur; sed insuper oportet ex eodem documento constet, fuisse excardinationem legitime peractam, nempe ad normam can. 112-114. Cetera, quae sequuntur, explicatione non indigent.

4. *Clericus iureiurando coram eodem Ordinario* etc. — Iusiurandum est interponendum, sicut fieri praecipitur cum quis ordinatur ab Episcopo dioecesis, in qua domicilium tantum sine origine habet: utroque enim in casu permanentia clerici in dioecesi, non ex naturali facto originis (quo fit discessio difficilior) pendet, sed ex eius tantummodo voluntate, illud domicilium eligente; hanc proinde oportet iureiurando firmari.

TITULUS II.

DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS CLERICORUM.

Can. 118.

Soli clerici possunt potestatem sive iurisdictionis ecclesiasticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere.

1. Hactenus de peculiari sede atque Ordinario clericorum: modo de eorum iuribus ac privilegiis. Et primum de iuribus in genere. *Soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae.* — Clericum, uti diximus, prima tonsura facit (can. 108 § 1). Et quamvis prima tonsura nullam potestatem conferat, est tamen ex iure communi

conditio *sine qua non* omnis ecclesiasticae potestatis. Haec vel ex ordine vel ex iurisdictione oritur. Sed nullus ordo, ne iuris quidem mere ecclesiastici, laico conferri potest (cfr. can. 974 § 1 n. 5): quamvis enim possit ad munera, quae quibusdam ordinibus coniuncta sunt, et laicus deputari, nunquam tamen hic, ex iure communi, ad ea munera exercenda ius consequi potest. Ac fere idem dicendum est de ecclesiastica iurisdictione: hanc siquidem, tametsi non repugnet ab Ap. Sede laicis quoque mandari, veruntamen ex communi iure obtinere possunt clerici tantum.

2. Sequitur: *Et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere.* — Beneficium constat officio sacro et iure percipiendi reditus, qui ex dote officio sunt adnexi (can. 1409). Est igitur in beneficio elementum spirituale, et ideo nonnisi clericis conferri potest. Pensio vero, seu ius percipiendi quotannis partem reditus alieni beneficii, multiplex est. Nam, in primis constituitur et solvitur vel ob munus mere temporale, et tunc ecclesiastica non dicitur et etiam a laicis obtineri potest; vel ob munus spirituale praestandum (cui nempe non sit dos beneficialis adnexa) et tunc pensio dicitur ecclesiastica. Deinde constitui potest in perpetuum vel ad vitam pensionarii: et tunc realis dicitur, et beneficio in iure aequiparatur; aut constituitur ad vitam beneficiarii: et tunc dicitur personalis (videlicet beneficiario), et beneficii nomine in iure non venit (can. 1412 n. 4). Legislator loqui videtur de pensione ecclesiastica et personali, quae, cum et ipsa elemento spirituali constet, nonnisi clericis acquiri potest.

Can. 119.

Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus reverentiam, seque sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem iniuriam intulerint.

1. Veniamus igitur ad ea iura, quae cum clericos peculiari, prae aliis, modo tueantur, eosve eximant a quibusdam obligationibus ceteris fidelibus communibus, non immerito dicuntur, quamvis latissima significatione, privilegia clericorum. His tamen privilegiis, quae, tametsi ab Ecclesia introducta sint, in iure divino fundantur, gaudent ex dispositione iuris omnes personae Deo dicatae, ideoque etiam utriusque sexus religiosi (cfr. can. 488 n. 1) laici quoque, imo etiam novitii (can. 614). Et primum de privilegio « canonis ».

2. *Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus reverentiam.* — Reverentia debetur ratione pietatis, auctoritatis, sed praesertim religionis: ratione pietatis, parentibus; ratione auctoritatis, pro diversis gradibus ac muneribus, omnibus personis potestate fruentibus, tum ecclesiasticis, tum civilibus; ratione religionis, ob inditum sacrum characterem, clericis omnibus indiscriminatim. — *Seque*

sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem iniuriam intulerint. Quibus huius canonis verbis adiiciendus est can. 2343: § 1. *Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit:* 1° *Excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam; et est ipso facto vitandus;* 2° *Est ipso iure infamis*; 3° *Clericus est degradandus.* — § 2. *Qui in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis*: 1° *In excommunicationem incurrit latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam;* 2° *Est ipso iure infamis*; 3° *Privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat.* — § 3. *Qui in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum, incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam.* — § 4. *Qui in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat.* Consistit itaque huiusmodi privilegium in peculiari ratione, qua ius personas sacras tuetur, diciturque privilegium « canonis », eo quod originem duxit a canone XV Concilii Lateranensis II, a. 1139 habiti, Innocentio Pp. II in Cathedra romana sedente. Cum enim animadverteret Pontifex, rudioris aetatis ingenium sectarumque audaciam magis atque magis in clericorum personas desaevire, opportunum existimavit, poenas, quae iampridem in vexatores sancitae fuerant, aggravare, atque ad Ecclesiam universam extendere. Hinc Concilii canon XV: *Si quis, suadente diabolo, huius sacrilegii crimen incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat et nullus episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat* (c. 29, C. XVIII, q. 8). Ex privilegio igitur canonis, iure nunc vigente, qui violentas manus in clericos aut clericis aequiparatos iniiecerit, seu realem iniuriam intulerit: 1°) sacrilegium committit; 2°) variis, pro varietate personarum, poenis sive latae sive ferendae sententiae plectitur. Iam vero videtur in primis, violentas manus iniicere ac realem iniuriam inferre iuridice eandem habere significationem. *Iniuria*, ait Ulpianus (fr. 1 D. XLVII, 10), *ex eo dicta est, quod non iure fiat: omne enim quod non iure fit, iniuria fieri dicitur. Hoc generaliter. Specialiter autem iniuria dicitur contumelia.* Et hac significatione iniuria hic accipitur. Potest autem iniuria verbalis esse aut realis: verbalis est, si verbis; realis, si factis personae infertur. Legislator hic de reali iniuria loquitur, eadem plane significatione, qua postea de violenta iniiectione manuum: ita enim semper in iure hic loquendi modus acceptus est. Ad rem D'Annibale (In constit. *Apostolicae Sedis*, n. 109): *Manus violentas iniicere accipimus, quoties in personam non verbis, sed factis fit iniuria.* In personam vero iniuria fieri intelligitur, sive laedatur corpus, sive libertas,

sive dignitas. Laeditur corpus ex. c. percutiendo, vulnerando, propinando venenum; libertas vero laeditur, si quis ex. c. clericum in carcerem detrudat vel alium locum etiam privatum; laeditur dignitas, si quis clerico vim utcumque inferat: ex. c. sistat rhedam, qua vehitur, vel aequum quo insidet; vel violenter illi detrahat pileum, vel baculum aut quidpiam aliud contumeliosum in illum admittat, velut si sputo, pulvere, luto eum foedet, vel si vestes, quibus indutus est, conscindat. De subiectivis delicti elementis, postea, cum agendum erit de natura delicti. Qui igitur clericis eisque aequiparatis personis realem iniuriam inferunt, et praecipue mandantes, si qui sint, aut etiam in delicto concurrentes (cfr. can. 2231 et 2209 § 1-3), in primis sacrilegium committunt, idque ex iure divino: est namque sacrilegium rei sacrae (personae aut loci) laesio per iniuriosam actionem peracta, quod iure divino vetitum est. Sed Ecclesia, contra sacrilegium in clericos patrantes peculiari modo procedit (cfr. can. 2325), sicut etiam facit ex. c. contra eos, qui species consecratas abiecerint vel ad malum finem abduxerint aut retinuerint (can. 2320), et contra usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia (can. 2345). Et hic proprie consistit ratio privilegii « canonis » iure ecclesiastico introducti ad clericorum personas tuendas. Idque proinde plenissime erat in eius potestate, et ius civile hac in re nihil habet videndum, nisi fortasse Ecclesia expostulet, ut ius a se constitutum legis civilis auctoritate fulciatur.

Can. 120.

§ 1. *Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.*

§ 2. *Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati « nullius », supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit.*

§ 3. *Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit.*

1. Canon, hic et sequens sunt de immunitatibus clericorum prae ceteris Ecclesiae fidelibus civibusque civilis societatis. Concilium Trident. (sess. XXV *de reformat.* cap. 20) ait: *Sancta Synodus . . . saeculares quo-*

que principes officii sui admonendos esse censuit, confidens illos... non permissuros ut officiales aut inferiores magistratus, Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam violent. Est igitur immunitas ecclesiastica Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta. *Dei ordinatione*: nempe quoad fundamentum, quod in natura ipsa rerum positum est. Ad rem barbarus ille rex Atalaricus (Cassiodorus, *Variorum* lib. VIII, cap. 24), magistratum quendam suum corripiens: *Quod nobis pro ingenita reverentia, quam nostro habemus auctori, displicuisse profitemur, ut qui prius meruerunt sacris inservire ministeriis* (videlicet clerici), *conventionibus irreverenter nefariis expositi, iniuriis subiacerent* (scilicet ex denegatis immunitatibus). Sed et *canonicis sanctionibus*: nam id, quod in divino quidem iure fundatur, sed ab eodem iure expresse et plene non definitur, Ecclesiae est constituere pro temporum ac circumstantiarum varietate. Ideoque singulae leges, quae de clericorum immunitatibus, diversis temporibus prodiere, tanquam mere ecclesiasticae habendae sunt. Multa hic essent disputanda de varia anteactis aetatibus agendi ratione, hac in re ab Ecclesia adhibita. Paucis omnia perstringamus: Ecclesia, theorice, clericorum immunitates semper invicte asseruit; practice, plus minusve variisque modis (concordato, lege peculiari, delegatione potestatis, ratihabitione, tacita adquiescentia, consensu in consuetudinem contrariam) civili auctoritati detulit. Haec vero, a tempore Constantini Aug. usque ad gallicam seditionem, privilegia clericorum substantialiter agnovit; postea, fere ubique, intra ambitum legum civilium, clericos ceteris civibus aequavit (cfr. Wernz, *Ius decret.* II n. 166 et seq.: Cavagnis, *Instit. iur. publ. eccl.* II n. 152 et seq.). Sed veniamus ad ius in Codicem receptum: et primum de immunitate personali clericorum a foro civili, idest de privilegio fori.

2. *Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent.* — Causae forenses iuxta obiectum iudicii distinguuntur. Inde summa causarum divisio in contentiosas et criminales: obiectum enim iudicii, aut sunt iura personarum persequenda aut vindicanda vel earundem facta iuridica declaranda, et tunc causa contentiosa dicitur; aut sunt delicta in ordine ad poenam infligendam, et tunc causa dicitur criminalis. Et semper apud iudicem ecclesiasticum clerici conveniri debent. Tum autem quis conveniri censetur, cum iudici competenti, ab actore libellum litis introductorium exhibetur aut, si actor scribere nesciat, oralis petitio, quibus controversiae obiectum proponatur et ministerium iudicis ad deducta iura persequenda expostuletur (can. 1706 et 1707); vel si de causa criminali agatur, cum libellum aut denunciatio accusatoria exhibetur sive a promotore iustitiae sive a quolibet alio (can. 1934-1936). Quare, qui tanquam testis inducitur, non dicitur conveniri. Breviter: reus conventus apud forum civile cle-

ricus per se esse non potest, et in hoc consistit privilegium fori. Quare Pius Pp. X (motu-prop. *Quantavis diligentia*, 9 oct. 1911): *Quicumque privatorum laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili* (idest contentiosa), *nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, eos etiam* (idest aeque ac si id a publica persona fiat) *omnes in excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere.* Quam tamen sanctionem Codex (can. 2341) ita immutavit: *Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam; si alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum « nullius », vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur.* — Sequitur: *Nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.* Et legitime provideri potest pluribus modis: concordato (1), lege particulari ab Ap. Sede lata, privilegio aut dispensatione apostolica, consuetudine legitime introducta.

3. *Patres Cardinales . . . supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae*, etc. — Legislator dividit clericos eisque, quoad privilegia, aequiparatos in partes duas: clericos maiores et minores. Inter maiores clericos recenset supremos Moderatores religionum iuris pontificii, ideoque omnium religionum quae non sunt iuris dioecesani, sive exemptae sint sive non exemptae. Sunt autem supremi Moderatores Abbas primas, Abbas Superior Congregationis monasticae,

---

(1) Cfr. ex. c. Mercati, *Raccolta di concordati*: *Concord. con Napoli*, 2 giugno 1741, capo IX art. 1 e seq.: *Si formerà un tribunal misto composto di cinque soggetti, cioè due ecclesiastici da deputarsi da Sua Santità, e due laici o ecclesiastici da deputarsi parimente da Sua Maestà, tutti quattro regnicoli, e circa il quinto, che dovrà essere sempre persona ecclesiastica parimente regnicola, Sua Maestà Napolitana nominerà tre soggetti, e Sua Santità ne sceglierà uno.* Etc. — Item *Concord. fra Pio IX e Francesco Giuseppe I imperatore d'Austria*, 18 agosto 1855: *Temporum ratione habita, Sanctitas Sua consentit, ut clericorum causas mere civiles, prout contractuum, debitorum, hereditatum, iudices saeculares cognoscant et definiant* (Art. XIII). *Eadem de causa S. Sedes haud impedit, quominus causae ecclesiasticorum pro criminibus seu delictis, quae poenalibus Imperii legibus animadvertuntur, ad iudicem laicum deferantur, cui tamen incumbet Episcopum ea de re absque mora certiorem reddere.* (Art. XIV).

Superior generalis aliarum religionum, quibus accensendus videtur et Abbas monasterii sui iuris (cfr. can. 488 n. 8). Officialium vero Curiae Romanae hi maiores sunt: 1°) Adsessor et Commissarius Congr. S. Officii (Pius Pp. X, *Ordo servandus* etc. *Normae pecul.* cap. VII art. I n. 1); 2°) Adsessor et Substitutus Congr. Consistorialis (ibid. art. II n. 1); 3°) Secretarius et Subsecretarii Congr. de Sacramentis (ibid. art. III n. 1); 4°) Secretarius et Subsecretarius Congr. Concilii (ibid. art. IV n. 1), Congr. de religiosis (ibid. art. V n. 1), Congr. de Prop. Fide (ibid. art. VI n. 2), Congr. Caeremonialis et Congr. pro negotiis eccl. extraordinariis (cfr. Annuario pontif. *Sacre Congregazioni*); 4°) Secretarius et Substitutus Congr. Rituum et Congr. Studiorum (ibid.); 5°) Adsessor Congr. pro Ecclesia Orientali (ibid.); 6°) Regens, Praelati Signaturae, Secretarius et Substitutus S. Poenitentiariae Ap. (*Ordo Servandus* etc. cap. VIII art. 1 n. 1); 7°) Secretarius Signaturae Ap. (cfr. Annuar. pontif. *Officii, Tribunali* etc.); 8°) Praelati Auditores S. Rom. Rotae (cfr. *Lex propria*, 29 iun. 1908, tit. I, cap. 1, can. 1 et 2); 9°) Regens ac Substitutus Cancellariae Ap.; 10). Regens Datariae Ap.; 11°) Subcamerarius, Auditor, Thesaurarius Camerae Ap. (cfr. *Annuar. pontif.*); 12°) Substitutus Secretariae status ac Cancellarius Brevium Apostolicorum (ibid.).

4. *Ob negotia ad ipsorum munus pertinentia,* etc. — Ex contextu canonis videntur haec verba tantummodo ad officiales Curiae Romanae esse referenda: siquidem, cum sint summi Principis administri, clericis maioribus adnumerantur ratione munerum, quibus sunt addicti. Quare, haec paragraphi totius videtur esse sententia: clerici maiores quoad omnes causas, Officiales vero Romanae Curiae, quoad causas, quae eorum munus respiciunt, sine venia Ap. Sedis non possunt apud forum civile conveniri; contra, tum citati Officiales quoad causas eorum muneri extraneas, tum clerici minores quoad omnes causas, si necessarium aut opportunum videatur ad eundem forum recurrendi, conveniri non possunt, sine venia Ordinarii loci, in quo causa peragitur. Cui explicandi modo adamussim consonare videtur can. 2341, de poenis in eos, qui huius canonis praescripto contra faciunt.

5. *Quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim* etc. — Praesertim: ideo, cum actor est clericus, venia difficilius concedenda est. Tamen semper concedi potest; imo, ex sententia canonis, regulariter deneganda non est; imo etiam, *si* (actori) *non datur iura sua prosequi, nisi apud iudices laicos* (quod utique contingere potest in peculiaribus circumstantiis ob praescriptum iuris civilis).... *eam Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint* (S. Congr., S. Officii, litt. encycl. 23 ian. 1886). Et patet facilius operam dari posse, cum agitur de causa contentiosa, raro vero in causa criminali, quamvis delictum occultum fuerit. Si tamen dene-

gandi causa subsit, denegare possunt. At causa et iusta et gravis esse debet, praesertim ratione scandali; cum autem circumstantiae diversissimae esse possint, id Ordinariorum prudentiae remittitur.

6. *Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam*, etc. — Si clericus sive maior sive minor apud forum civile conveniatur, nulla ad normam praecedentis paragraphi venia impetrata, dicto iudicis laici parere potest, ratione necessitatis, ne scilicet inauditus et contumax damnetur. Tum vero, statim de in ius vocatione certiorem facere debet Superiorem illum, a quo iuxta superiorem paragraphum venia obtinenda erat, et a quo aut petita aut obtenta non fuit. Haec de privilegio fori. Quae, cum iis temporibus decreta sint, quibus, ut ait Oietti *(Synopsis*, verb. *Fori privilegium) privilegium hoc multis in locis per iniuriam societatis civilis, vel in pluribus sit imminutum, vel omnino non vigeat*, non est qui non videat, quam prudenter, quam leniter Ecclesia egerit.

Can. 121.

Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt.

1. Canon agit de alio immunitatis genere, nempe de privilegio, uti dicitur, exemptionis seu, antonomastice, immunitatis. A saeculo quarto usque ad finem duodevicesimi, clerici de facto a civilibus officiis muneribusque, tum personalibus tum realibus seu patrimonialibus, plus minusve exempti fuerunt: ius tamen exemptionis nunquam aperte negatum est. Id effecit, post subversionem rerum gallicarum, liberalismus politicus, adeo ut Pius Pp. IX has propositiones in Syllabum referre cogeretur: — Prop. 30. *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.* — Prop. 32. *Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.* — Prop. 43. *Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo « Concordata ») super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium, cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante.* Quod privilegium immunitatis, et ipsum in iure divino fundatum, Codex iterum sanxit.

2. *Clerici omnes a servitio militari*, etc. — A quo quis clericis per primam tonsuram adnumeratur, gaudet privilegio immunitatis. Et primum, immunis est a servitio militari, quo nihil est, quod cum sacro clericorum charactere apertius pugnet, et quidem ex iure divino naturali si arma contra hostem deferre cogantur. Idque etiam patet ex singulari

severitate, qua in clericos sponte contra facientes Codex animadvertit. Ait enim (can. 141): *Saecularem militiam ne capessant voluntarii, nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant. Clericus minor qui sponte sua militiae nomen dederit, ipso iure e statu clericali decidit.*

3. *A muneribus et publicis civilibus officiis a clericali statu alienis.* etc. — Munus est generale nomen, quo omnia onerum species continentur. Munera vero aut publica sunt aut privata. Publica sunt, quae ex iure publico; privata, quae ex privato iure, nempe ex contracta obligatione deferuntur. His Legislator publica officia civilia addit. Siquidem, aliud munus, aliud publicum officium: illud, si publicum fuerit, invito quoque defertur, qui non sit iure prohibitus, *ut patriae idoneus civis esse videatur* (fr. 3 D. L, 4); hoc nostra aetate obire, in arbitrio civis positum est. At quibusnam est iure nostro muneribus et officiis clericus immunis? Sane iis, quae a statu clericali sunt aliena. Quaenam autem haec sint, quove modo in contra facientes, sive laicos qui coëgerint sive clericos qui acceptaverint, sit animadvertendum, Codex non definit: diversissimi enim et mores et leges civiles esse possunt. Quae tamen sit mens Legislatoris, aliquomodo arguitur ex can. 139, qui haec habet: *Clerici tabelliones seu publicos notarios, nisi in Curia ecclesiastica, ne agant; officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt, ne assumant. Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia* (nempe privata), *quae secumferant onus reddendarum rationum; procuratoris aut advocati munus ne exerceant, nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae; in laicali iudicio criminali, gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes. Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos « deputatos » vocant, munus ne sollicitent, neve acceptent sine licentia*, etc. Quoad poenas vero, in laicos quidem clericorum immunitates parvipendentes, tanquam sacrilegii reos, animadverti potest ad normam can. 2325; in clericos autem ad arbitrium Ordinariorum.

CAN. 122.

Clericis qui creditoribus satisfacere coguntur, salva sint quae ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio, sunt nenessaria, firma tamen eorundem obligatione creditoribus quam primum satisfaciendi.

1. Est hoc privilegium competentiae quod dicitur, vel etiam privilegium ex cap. *Odoardus*, ex notissima decretali c. 3 X *de solutionibus* III, 23. Haec est: *Odoardus clericus proposuit, quod, quum P. clericus, D. laicus et quidam alii ipsum coram officiali archidiaconi Remensis super*

quibusdam debitis convenissent, idem in eum recognoscentem huiusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, excommunicationis sententiam promulgavit: Mandamus quatenus, si constiterit quod praedictus Odoardus in totum vel pro parte non possit solvere debita supra dicta, sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis, recepta prius ab eo idonea cautione, ut, si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita praedicta persolvat. Ex hoc igitur capite clericus, qui contractum aes alienum solvere non potest, 1°) non est excommunicandus, imo, 2°) idonea cautione praestita, dimitti debet. Sed consuetudines ex aequitate canonica paulatim inductae et auctoritas iuris romani, sensim rem perduxerunt ad privilegium, quod eodem iure emeritis militibus constitutum erat. *Miles*, ait Ulpianus (fr. 6 D. XLII, 1), *qui sub militia stipendia meruit,* condemnatus, *eatenus qua facere potest, cogitur solvere.* Hinc clericis solvere coactis, semper ea reservabantur, quae ad eorum honestam sustentationem erant necessaria, ne cum dedecore suscepti ordinis mendicare cogerentur. Quare, privilegium competentiae eo proprie consistit, quod clerici eiusmodi cogi non possint ad solvendum, nisi ex iis, quae eorum honestae sustentationi superfluunt, etiamsi haec ad extinguendum debitum minime sufficiant, obligatione tamen perdurante, ubi primum potuerint, totum solvendi. Inde canon. Quoad poenas vero in creditores contra facientes, hoc etiam in casu, animadvertere videtur can. 2325.

2. *Clerici qui creditoribus satisfacere coguntur*, etc. — Cogere non potest nisi creditor: cum enim agatur de causa, quae ad ius privatum pertinet, reus condemnari non potest ad plus solvendum, quam actor intenderit. — *Ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio,* etc. Cum ob varietatem casuum nulla generalis regula constitui possit, Legislator totum negotium arbitrio iudicis remittit; iudicis, inquam, ecclesiastici, nam et in foro ecclesiastico causae huiusmodi per se, utpote clericorum, tractari debent, et inutiliter remitteretur arbitrio iudicis laici, cum nostrae aetatis ius civile privilegium competentiae, prout iure nostro clericis conceditur, fere nunquam agnoscat. — *Firma tamen eorundem obligatione*, etc. Privilegium competentiae iustitiam commutativam laedere non debet: proinde obligatio satisfaciendi non cessat, nisi postquam fuerit satis factum, et, cum agatur de obligatione patrimoniali, in heredes clerici debitoris transit.

Can. 123.

Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit; sed eadem amittit, si ad statum laicalem reducatur aut privatione perpetua iuris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur, ad normam can. 213, § 1, 2304; recuperat vero, si haec poena remittatur aut ipse rursus inter clericos admittatur.

1. Enumeratis explicatisque privilegiis communibus clericorum, agendum erat Legislatori de eorundem cessatione. Et primum de cessatione voluntaria, nempe de renunciatione. *Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit.* — Renuntiare nequit, quia huiusmodi privilegia non singulis sed ordini clericali universo, publice ac per legem irrogantur. Irrogantur universo ordini; habent igitur, si ad singulos referantur, naturam privilegii realis, potius quam personalis, quibus proinde singularis persona nequit renuntiare. Deinde publice irrogantur (cfr. can. 72 § 2): sed *ius publicum privatorum pactis mutari non potest* (fr. 38 D. II, 14). Ad rem Innocentius Pp. III (c. 12 X *de foro compet.* II, 2): *Manifeste patet, quod pacisci non possunt* (idest clerici), *ut saecularia iudicia subeant, quum non sit beneficium hoc* (videlicet fori privilegium) *personale, cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest.* Denique irrogantur per legem: at legis praescriptum non aufertur, nisi per legitimam consuetudinem contrariam; sed consuetudinem inducere, communitatis, non singulorum est. Imo, potesne legitima haberi consuetudo, quae legi deroget in iure divino fundata? Non videtur, saltem si agatur de consuetudine abrogatoria legis.

2. Sequitur: *Sed eadem amittit, si ad statum laicalem reducatur*, etc. — Legislator edicit, quot modis involuntarie cessent privilegia communia clericorum. Est autem modus duplex: primus modus est, cum clericus privilegium amittit in casu peculiari, videlicet *ubi obsistat aliquod impedimentum, propter quod quis non potest gaudere privilegiis clericorum, licet sit clericus* (S. Rota, in *Recentior*, decis. 12 n. 7 et alibi); idque praesertim contingit, cum quis fraude ac dolo privilegiis utitur. Profecto, ex. c. privilegium competentiae non succurrit, si clericus, ratus semper sibi salva fore, quae ad vitae sustentationem necessaria sunt, *luxuriose vivat, suo patrimonio male utatur, ludat* (ibid. decis. 207 n. 7 seq. p. 15). Et cum de peculiari casu tunc agatur, canon de hoc modo amittendi non loquitur. Alter modus est, cum quis generaliter privilegia clericorum amittit, idque evenit cum ad statum laicalem reducitur aut iure deferendi habitum ecclesiasticum perpetuo privatur. Nec immerito: nam privilegium cessare debet, cum cessat ratio privilegii; sunt autem privilegia haec irrogata in commodum status clericalis: sed qui ad statum laicalem reducitur, exterius de statu clericali decidit; qui vero habitu in perpetuum privatur, decidisse videtur.

3. *Ad normam can. 213, § 1, 2304.* — Canone 213 § 1 edicitur: *Omnes qui e clericali statu ad laicalem legitime redacti aut regressi sunt, eo ipso amittunt officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia et vetantur in habitu ecclesiastico incedere ac tonsuram deferre.* Ad statum laicalem quis sponte regreditur, redigitur coacte. Utcumque vero ad statum laicalem quis reducatur, hoc ipso et habitu et privilegiis clericorum pri-

vatur. Quod ex. c. contingit in degradatione (cfr. 2305 § 1). Potest autem clericus etiam ab homine habitu privari, idque vel fit in perpetuum vel ad tempus : in perpetuum fieri potest, ad normam can. 2304, *si depositus non det emendationis signa;* ad tempus vero, ad normam can. 2300, *si scandala praebeat, monitus non resipiscat, nec scandalum queat aliter removeri.* Et semper habitus privatio, sive perpetua fuerit sive temporaria, secumfert privationem privilegiorum clericalium. Non tamen eodem modo: nam qui ad tempus privatur, proprie loquendo, privilegia (quae quodammodo suspenduntur) non amittit, et haec ratio, quare canon de huiusmodi privatione non loquitur; contra, qui perpetuo privatur, vere et proprie privilegia clericalia amittere dicitur.

4. *Recuperat vero si haec poena remittatur*, etc. — Habitus privatio, poena vindicativa est, clericis peculiaris (cfr. can. 2298 n. 9 et 11); ex adverso reductio ad statum laicalem quandoque habet rationem poenae, velut ex. c. in degradatione, qua continetur (cfr. can. 2305 § 1), quandoque vero non habet (cfr. can. 214). Ergo, si perpetuae privationis poena remittatur vel si status clericalis restituatur, clericus privilegia recuperat : siquidem, causa sublata, effectus quoque evanescere necesse est.

TITULUS III

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

Can. 124.

Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere.

Hactenus de clericorum iuribus ac privilegiis ; modo de eorum obligationibus. Obligationum aliae *positivae*, aliae *negativae* sunt ; illae in faciendo, hae in abstinendo consistunt. Scilicet, clerici positiva obligatione tenentur sanctiorem vitam ducendi, Ordinario parendi, studiis operam dandi, coelibatum servandi, breviarium recitandi, decentem vestem ferendi; negativa vero obligatione tenentur a fideiubendo, a rebus indecoris vel a statu clericali alienis, a spectaculis, a mercatura, ab illegitime discedendo a sua dioecesi abstinendi.

Legislator initium capit ab ea obligatione quae utpote aliarum omnium radix, maioris momenti est. *Hinc, dilecti filii*, ait Pius Pp. X (*Exhort. ad Cler. cathol.* 4 aug. 1908), *hortationis Nostrae exordium capimus, ut vos nimirum ad eam vitae sanctimoniam, quam dignitatis gradus postulat, excitemus. Quicumque enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum, sed aliis potitur : « Omnis namque Pontifex ex hominibus assum-*

ptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum». Idipsum et Christus indicavit, qui ad significandum quo demum actio sacerdotum spectet, eos cum sale itemque cum luce comparatos voluit. Lux ergo mundi, sal terrae, sacerdos est. Neminem sane fugit id praecipue fieri christiana veritate tradenda: at vero quem pariter fugiat, institutionem eiusmodi pro nihilo fere esse, si, quae sacerdos verbo tradat, exemplo suo non comprobet? Qui audiunt, contumeliose ii quidem, sed non immerito obiicient: « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant » ; doctrinamque respuent, nec sacerdotis fruentur luce. Quam ob rem ipse Christus, factus sacerdotum forma, re primum, mox verbis docuit: « Coepit Iesus facere, et docere ».

Can. 125.

Curent locorum Ordinarii:

1°. *Ut clerici omnes poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant;*

2°. *Ut iidem quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant.*

Canon hic et sequens cum superiore connectuntur: ostendunt namque, quae sit via, quaeque ratio sanctiorem vitam consequendi. Et hac in re Romanorum Pontificum verba afferre praestat. Ait igitur Benedictus Pp. XIV (const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742 § VI, n. I): *Sacerdotes ad poenitentiae sacramentum frequenter accedant, ut cum divinum mysterium peracturi sunt, nulli coram Deo crimini sint obnoxii, sed cor habeant omni pravitate vacuum, mundum, quoad fieri potest ac purum: indignum enim ac auribus plane horrendum est, ut qui animum habet aliquo scelere foedatum, Sanctum Sanctorum impuris manibus contrectet, et placare Deum attentet, qui in peccatis existens, ipsius Dei furorem et iracundiam provocat.* Pius vero Pp. X (exhort. *Haerent animo,* 4 aug. 1908) subdit: *Cum re cohaeret et est memoratu dignum, Sancti Caroli pastorale alloquium: « Intelligite, fratres, nihil aeque ecclesiasticis omnibus viris esse necessarium ac est oratio mentalis, actiones nostras omnes praecedens, concomitans et subsequens: Psallam, inquit propheta, et intelligam. Si sacramenta ministras, o frater, meditare quid facis; si Missam celebras, meditare quid offers; si psallis, meditare cui et quid loqueris; si animas regis, meditare quonam sanguine sint lavatae».* Ac deinde de discussione conscientiae: *Est,* inquit, *apposite ad rem egregium quoddam documentum Chrysostomi, sacerdoti praesertim exhibitum. Quotidie sub noctem, antequam somnus obrepat, « excita iudicium conscientiae tuae, ab ipsa rationem exige, et quae interdiu mala cepisti consilia... fodica et dilania, et de eis poenam sume». Quam rectum id sit ac fructuosum christianae virtuti, prudentio-*

res pietatis magistri luculenter edicunt... Praeclarum illud referre placet Sancti Bernardi: « Integritatis tuae curiosus explorator, vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias... Stude cognoscere te... Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tanquam ante alium; et sic te ipsum plange ». Videre autem ne clerici haec officia negligant, Ordinariorum est: *Curent Ordinarii.* Quod quidem praeceptum est, non consilium.

Can. 126.

Omnes sacerdotes saeculares debent tertio saltem quoque anno spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare; neque ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, iusta de causa ac de expressa eiusdem Ordinarii licentia.

Monet Benedictus Pp. XIV (litt. encycl. *Ubi primum*, 3 dec. 1740): *Proderit autem plurimum, si studueritis, ut et qui curam animarum gerunt et alii, qui ad poenitentium confessiones excipiendas destinati sunt, per aliquot dies spiritualibus exercitiis quotannis vacent; in eo quippe pio recessu, renovabuntur spiritus mentis suae et induentur virtute ex alto, ad ea impensius alacriusque peragenda, quae suorum partium sunt pro divini Numinis gloria et spirituali proximorum utilitate et salute.* Exercitia spiritualia in pia aliqua religiosave domo peragenda sunt. Pia domus est ex. c. seminarium; religiosa domus est *domus alicuius religionis in genere* (cfr. can. 488 n. 5). Et peragenda sunt tertio saltem quoque anno, nisi Ordinarius dispensaverit. Non autem licet Ordinario dispensare, nisi 1°) agatur de casu particulari, idest hunc illumve clericum et pro qualibet vice tantum; 2°) iusta de causa, Ordinarii iudicio aestimanda; 3°) per licentiam expressam, nempe verbis, literis, nutibus concesssam: et ideo licentia tacita, et multo minus praesumpta, non sufficit.

Can. 127.

Omnes clerici, praesertim vero presbyteri speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi.

Clerici per incardinationem speciali modo Ordinario subiiciuntur (cfr. c. ad can. 111); quare et speciali modo eum revereri eique parere debent. Et est obligatio personalis, quae proinde clericum sequitur ubique terrarum. Reverentia autem Ordinarii personam respicit, et ideo, indirecte, ea quoque omnia, quae Ordinarius egerit: nullis finibus circumscripta est et semper adesse debet. Contra, obedientia intra eius potestatis fines continetur, ad normam iuris.

CAN. 128.

Quoties et quandiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum.

1. Uti supra vidimus (cfr. c. ad can. 111 n. 1), cum nullus debeat ordinari qui dioecesi necessarius aut utilis futurus non sit (Conc. Trid. sess. XXIII cap. 16), clericus nonnisi ad dioecesis alicuius utilitatem ordinari, eique incardinari potest. Et cum dioecesis regimen Ordinario commissum sit, inde etiam specialis clericorum obligatio suo cuiusque Ordinario parendi. *Quoties* igitur *et quandiu id, iudicio proprii Ordinarii exigat Ecclesiae necessitas*, etc. — Ecclesiae nomine, dioecesis hic more antiquorum intelligi videtur. Ferre autem de dioecesis necessitate eiusque diuturnitate iudicium, non ad subditos clericos, sed ad Ordinarium pertinet.

2. *Ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis*, etc. — Itaque, instante necessitate, vi obligationis ex incardinatione defluente, potest Ordinarius clericos dioecesi incardinatos ad suscipiendum munus adigere: clericos, inquam, nempe omnes, cuiusvis ordinis, sive beneficium aut officium habeant, sive minus. Hinc Benedictus Pp. XIV (ep. encycl. *Etsi minime*, 7 febr. 1742 § 6): *Verum satis experientia compertum est, imparem esse solius parochi laborem, cum nequeat unus omnes instruere, ubi doctoris diligentiam numerus vincit. Quoties tamen Episcopus toto animo ac studio in Ecclesiam sibi commissam incumbat, nunquam necessariis et opportunis destituetur auxiliis. Semper enim invenias ... qui per minorum, qui per sacrorum ordinum gradus ad sacerdotii fastigium promoveri, qui denique ad ecclesiastica beneficia viam sibi munire studeant. Gravissimis idcirco verbis (et verbis facta respondeant) affirmet Episcopus, nunquam se facturum, ut ... minores, praesertim vero maiores ordines iis conferat, qui in tradenda christiana doctrina operam suam parochis commodare neglexerint .... Denunciet praeterea, ac fidem praestet, in conferendo parochiarum et aliorum beneficiorum iure, plurimum apud se ponderis et momenti habiturum studium et diligentiam in hoc opus a clericis collatam.* At impedimentorum iustam rationem haberi oportet. Impedimentorum autem multa genera esse possunt: clerici infirmitas, cum suscepto prius munere incompatibilitas, etc. Et impedimentum debet esse legitimum, idest in iure vel naturali aequitate fundatum. Tum vero Ordinarius acceptationem muneris suadere quidem potest, si casus ferat, iubere non potest.

Can. 129.

Clerici studia, praesertim sacra recepto sacerdotio ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam.

Revera, ait Leo Pp. XIII (litt. encycl. *Etsi nos*, 25 febr. 1882), *fidei catholicae defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem, sed exquisitam et variam; quae non modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error hominum multiplex; singula christianae sapientiae fundamenta convellentium: luctandumque persaepe cum adversariis apparatissimis, in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere astute conquirunt.* Tum sacrae tum profanae scientiae rudimenta in Seminariis clerici addiscunt, sub aliorum cura. Unde canon loquitur de studiis non intermittendis, cum clericus, sacerdotio initiatus, quodammodo sui iuris fit. Tum nempe studia, praesertim sacra, abrumpere, illicitum est. Debet proinde clericus, saltem in sacris disciplinis, incepta studia perficere. Sed neque, hisce in studiis, licitum est ei a doctrina maiorum, ab Ecclesia communiter probata, discedere: omnia enim in Ecclesia, sacris ipsis evangeliis non exceptis, ex orali, usuali, scripta traditione habemus; quare, parvipendere traditiones maiorum, est Ecclesiam adversari. Unde clerici, perinde ac scopulum, vitare debent falsi nominis scientiam, quae nempe solidis fundamentis non innititur, atque scientiae speciem quidem, minime vero consistentiam habet. Simulque profanas aut inutiles vocum novitates, quippe quae nullum alium finem consequi possunt, nisi mentis conceptus, perturbandi. Harum vocum novissimarum, copiosissima, si placuerit, collectio reperiri potest in Pii Pp. X litt. encycl. *Pascendi dominici gregis* (8 sept. 1907).

Can. 130.

§ 1. *Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci ob iustam causam fuerint exempti, examen singulis annis saltem per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum.*

§ 2. *In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ratio habeatur eorum qui, ceteris paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt.*

1. Lex nova esse videtur, et sicut lex, quae canone sequenti continetur, ex can. 129 logice consequitur. Cum enim clerico, postquam sacerdotio initiatus est, non sint studia, saltem sacra, intermittenda, sed per totum vitae curriculum protrahenda, inde oportebat Legislatorem modum statuere, quo et clerici magis incitarentur, et Ordinarii scientiae cuique acquisitae testimonium habere possent. Idque in primis, ad normam huius canonis, factum est per examen eiusque momentum quoad officiorum beneficiorumque collationem.

2. *Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes*, etc. — Nemo, iure communi, eximitur, neque ratio legis quemquam eximi sinit. Sive igitur sacerdos habeat curam animarum sive non habeat, sive paroeciale munus adeptus sit sive etiam canonicalem dignitatem, sive studia peregerit in Urbe sive extra, et quamvis fuerit laurea doctoris insignitus, a periculo faciendo iure non eximitur. — *Examen singulis annis saltem per integrum triennium .... subeant*, etc. Periculum singulis annis faciendum est, et saltem per integrum triennium post adeptum sacerdotium. Hac ergo lege, potestas relinquitur Ordinariis plus requirendi, nempe clericos examini subiiciendi per quadriennium, vel quinquennium, vel etiam per longius tempus. — *In diversis sacrarum scientiarum disciplinis*, etc. — Potestne Ordinarius examen exigere in disciplinis profanis, cum sacro clericorum ministerio connexis? Ratione legis considerata, videtur posse: haec quippe est mens Legislatoris, ut clerici, per diversarum disciplinarum studia, aptiores sacro ministerio fiant; ad huiusmodi autem finem, scientiae quoque profanae haud parum conferunt. Imo vero, contextus etiam canonis 129 videtur Ordinariis hanc facultatem tribuere: cavet enim canon, ne clerici studia, *praesertim sacra*, recepto sacerdotio, intermittant. Praesertim sacra: ideo neque profana, quae saltem utiliora videantur sacro ministerio, intermitti debent. — *Nisi ab Ordinario loci ob iustam causam fuerint exempti.* Ab onere periculum faciendi, quo iure clerici tenentur, fit Ordinariis potestas dispensandi. Tamen ob iustam causam, quae si desit, dispensatio illicite conceditur. Iusta autem causa esse potest ex. c. quod clerici scientiam Ordinarius aliunde compertam habeat; quod clerico fuerit iurisdictio in foro externo commissa, etc.

3. *In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum*, etc. — Ii clerici praeferendi sunt, qui in memoratis periculis magis praestiterunt, si tamen cetera iudicii elementa sint paria, si nempe qui ratione probatae scientiae esset praeferendus, sub ceteris respectibus, aeque ac alii ad officium beneficiumve candidati, idoneus habeatur. Ex huius igitur canonis praescripto, Ordinarii locorum obligatione tenentur: 1°) curandi, ut saltem per triennium post receptum sacerdotium clerici omnes suae dioecesis singulis annis periculum faciant; 2°) periculi et materias et modum determinandi, iuris communis habita ratione; 3°) non-

nisi ob iustam causam ab examine dispensandi; 4°) in collatione munerum eos, ceteris paribus, praeferendi, qui magis praestiterunt.

4. A Commissione pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos quaesitum est, utrum periculum, de quo in § 1 huius canonis, eo tempore quo clerici illud subire tenentur, ac si, ad normam can. 459 n. 3, coram Episcopo et examinatoribus synodalibus fiat, sufficiat ad collationem beneficii paroecialis. Et responsum est: *Negative, salvo tamen praescripto § 2 eiusdem canonis.* Aliis verbis factum cum laude huiusmodi periculum nihil aliud praestat, nisi, ceteris paribus, titulum praelationis, neque id omnibus, sed iis tantum, qui scientia magis enituerunt. Et ratio in hoc posita esse videtur, quod hac tantummodo de causa examen eiusmodi fieri debet, ut Ordinariis constet, studia clericum non intermisisse. Est igitur examen generale super doctrina, qua clericus quilibet callere debet, dum ex adverso examen, quod ad beneficium paroeciale obtinendum requiritur, ea potius respicit, quae parochi sunt propria. Merito ergo Pontif. Commissio negative respondit.

Can. 131.

§ 1. *In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus habeantur, quos « collationes » seu « conferentias » vocant, de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam.*

§ 2. *Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario statuendas.*

§ 3. *Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerint.*

1. Examine, de quo in canone praecedenti, scientiae clericorum non consulitur, nisi ad breve tempus; hoc canone Legislator eidem scientiae, praesertim in theologia morali, ac simul pietati clericorum consulit toto vitae curriculo. Ad rem S. Congr. de Prop. Fide (instr. 8 sept. 1869): *Satagendum etiam erit, ut studium doctrinae moralis maxime foveatur, ac opinionum difformitas quantum possibile est amoveatur. Ad hoc vero opportunum plane videtur consilium constituendi, ubi circumstantiae id non prohibeant, collationes ad casus morales discutiendos ac dissolvendos, quemadmodum in nonnullis locis summa cum fidelium utilitate peragi coeptum est.*

2. Quod vero antea suadebatur, Codice promulgato praecipitur. *In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis,* etc. — Ait can. 217 § 1: *Episcopus territorium suum in regiones seu districtus, pluribus paroeciis constantes, distribuat, qui veniunt nomine «vicariatus foranei, decanatus, archipresbyteratus»*, etc. Conferentiae igitur, de quibus can. 131, in singulis districtibus haberi debent, districtu ecclesiae cathedralis non excluso. Haberi autem debent saepius in anno: non pluries sed saepius, idest ad minus unoquoque mense. Diem praestituere Ordinarii arbitrio relinquitur, sicut etiam materiae morali ac liturgicae alias exercitationes addere, quae scientiam pietatemque foveant.

3. *Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones* etc. — Revera quandoque difficile est conventus haberi, sive ob asperitates itineris, sive ob temporis inclementiam, sive ob clericorum defectum et consequentes necessitates paroeciarum. Tum vero clericus propositae quaestiones secum ipse agitare tenetur, atque, quemadmodum Ordinarius iusserit, scriptas solutiones transmittere.

4. *Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent.* etc. — Quinam clericorum huiusmodi obligatione tenentur? Cum quaesitum esset, an simplices sacerdotes non confessarii... poenis cogi possint ad interessendum conferentiis casuum conscientiae, S. Congr. Episc. et Regul. (8 maii 1716) respondit: *Non esse cogendos, sed hortandos.* Ni fallor, alio nunc iure utimur. Ait enim canon: *Interesse... mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea obtinuerint.* Nisi igitur antea exemptio intercedat, et quidem expressa, cuius concedendae datur Ordinariis facultas, aut conventui interesse aut scriptas solutiones mittere *debent.* Agitur nempe de praecepto, quod proinde Ordinarius semper poenis urgere potest. Sed quinam tenentur? Canon enumerat: *Tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes, et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ad Ordinario obtinuerunt.* Primum itaque tenentur omnes sacerdotes saeculares: omnes nempe clerici sacerdotio insigniti, qui intra fines dioecesis reperiuntur ac Ordinarii subditi sunt. Deinde tenentur sacerdotes religiosi, qui quomodocumque curam animarum exerceant, idest omnes, qui, quocumque nomine vocentur, paroeciale ministerium exercent, eorumque cooperatores. Praeterea, si in eorum domibus quacumque de causa collationes non habeantur, tenentur quoque omnes alii religiosi, sive exempti sive non exempti, qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario loci (non autem a R. P. eiusve Legato) obtinuerint, quamvis de facto non exerceant. Et ratio quoad religiosos non exemptos patet; quoad religiosos vero, qui exempti sunt a iurisdictione Ordinariorum, animadvertendum est, eos ex hac tantummodo causa ad collationes dioecesanas teneri, quod aut curam animarum exerceant, aut confes-

sariisint auctoritate Ordinarii: in his enim et ab Ordinario instituuntur et dependent. Quod planum est.

Can. 132.

§ 1. *Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint, salvo praescripto can. 214 § 1.*

§ 2. *Clerici minores possunt quidem nuptias inire, sed, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ipso iure e statu clericali decidunt.*

§ 3. *Coniugatus qui sine dispensatione apostolica ordines maiores, licet bona fide, suscepit, ab eorundem ordinum exercitio prohibetur.*

1. Quemadmodum scientia mentis, ita castitas corporis ornamentum est: quare, iam ab Ecclesiae primordiis, semper haec virtus inter clericos cultores habuit. Non tamen semper, neque eodem modo clericos tenuit obligatio castitatis servandae. Scilicet, castitas in abstinendo ab illicitis voluptatibus consistit. Et quia coniugium voluptatibus non caret, ideo castitas duplex est: alia coniugalis seu imperfecta, alia extra-coniugalis seu perfecta; haec omne voluptatum genus excludit; illa eas tantum, quae matrimonii naturae repugnant. Omnes homines, et *a fortiori* fideles, iure divino alterutrius tenentur obligatione castitatis servandae. At clerici hac in re peculiari iure sunt usi: nam vel a quibuslibet vel a secundis nuptiis prohibiti sunt, idest vel ad monogamiam vel ad perpetuum coelibatum adstricti. Varia autem fuit, pro varietate temporum, Ecclesiae disciplina. Initio clerici ad coelibatum servandum adstricti non sunt: obstabat enim tum exiguus eorum numerus, tum celeberrima lex Iulia *de maritandis ordinibus* (a. U. 725 deinde 736 ab Augusto rogata ac tandem a. 757 lata, postea vero a M. Antonino Aug. perfecta), qua et innuptis, tanquam rei publicae perniciosis civibus, arctiores poenae statutae fuerant, et nuptiis liberorumque procreationi proposita praemia. Tenebantur tamen, uti ex D. Paulo argui posse videtur, ad monogamiam: siquidem vult Apostolus, Episcopum esse *unius uxoris virum* (I ad Tim. III, 2): uxore orbati, aliam clerici ducere nequibant. Sed postea Concilium Illiberitanum (a 300-306) can. 33 decrevit: *Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris, diaconibus positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis et non generare filios.* Quod quidem decretum non aliter videtur intelligendum esse, ac si perpetua ab uxoribus abstinentia fuisset praecepta. Deinde vero Siricius Pp. (ep. ad Himerium Episc. Tarraconen. a 385) apertissimis verbis Concilii Illiberitani decretum confirmat, eique poenas ecclesiasticas adnectit. Dolet Pontifex, *plurimos sacerdotes Christi*

atque levitas, post longa consecrationis suae tempora, tam de coniugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem procreasse, *et crimen suum hac praescriptione defendere, quia in Veteri Testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legibus attributa.* Quo sophismate refutato, subdit: *Quarum sanctionum omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora . . . Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos se esse deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quandiu vixerint officio perseverent, si tamen posthac continentes se studuerint exhibere. Hi vero, qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi hoc adserant veteri lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicae Sedis auctoritate deiectos; nec unquam posse veneranda œdtrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscoenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla praesentia cavere nos praemonent in futurum, si quilibet Episcopus, presbyter atque diaconus (quod non optamus) deinceps talis fuerit inventus, iam nunc sibi omnem per nos indulgentiae aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quae fomentorum non senserint medicinam.* Tandem Concilium Lateranense II (a. 1139) ait: *Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici et monachi atque conversi professi, qui, sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare praesumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus.* Hoc igitur decreto, tum sacer quisque ordo, ab episcopatu ad subdiaconatum, tum religiosa professio (quae ea aetate semper erat sollemnis), per adiectam clausulam irritantem, inter impedimenta matrimonium dirimentia relata sunt. Merito ergo damnata est opinio Nuytz (Pius Pp. IX *Syllabus*, prop. 72), qui existimavit, legi, clericis nuptias interdicenti, clausulam irritantem Bonifacium Pp. VIII (a. 1294-1303) primum adiecisse. Concilium vero Tridentinum (sess. XXIV *de sacram. matrim.* can. 9) eandem disciplinam confirmavit in haec verba: *Si quis dixerit clericos, in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, et oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, a. s.* Quod quidem disciplinae genus, qua clericus mundi illecebris eripitur, ut prorsus liber atque expeditus omnibus suis viribus sacro ministerio incumbere possit, Codex noster integram proponit atque perficit.

2. *Clerici in maioribus ordinibus constituti.* — Ut reperimus in decreto Concilii Lateranensis atque in canone Tridentini, agitur hic de clericis in ordinibus maioribus seu sacris constitutis, nempe de Episcopis, presbyteris, diaconis, subdiaconis; de ceteris clericis postea. —

A nuptiis arcentur. Ita vero arcentur, ut et matrimonium post ordinationem contrahere illicitum sit, et si quis contrahere attentaverit, contractus sit irritus et nullus. Ad rem can. 1072: *Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti.* In delictum vero can. 2388 § 1 animadvertit: *Clerici in sacris constituti ... matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; ... praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur, firmo praescripto can. 188 n. 5,* quo nempe decernitur, vacare tum ipso facto ob tacitam renunciationem quaelibet officia, quae ipsis antea commissa fuerint. — *Et servandae castitatis obligatione ita tenentur,* etc. Tenentur clerici, de quibus supra, obligatione perpetuae castitatis servandae, idque tum ex lege ecclesiastica, tum quia ordinis maioris susceptio vim habet voti sollemnis perpetuae castitatis. Hinc Benedictus Pp. XIV (constit. *Inter praeteritos,* 3 dec. 1749, § 41): *Quod idem est ac si dicatur, ipsos potestatem dispensandi in votis solemnibus castitatis, paupertatis et obedientiae, in solemni religiosa professione sive in ordinis sacri susceptione emissis, minime habere: haec autem sola solemnia vota sunt;* etc. — *Ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint.* Quoque: primum enim contra huiusmodi obligationem peccantes, rei sunt violatae legis divinae; deinde legis ecclesiasticae: tertio voti; quarto rei sacrae, idest clerici personae: et haec violatio sacrilegium est. Quare, praeterquam quod can. 2357-2359, canone quoque 2325 in violatores animadvertitur. — *Salvo praescripto can. 214 § 1.* Quod praescriptum huius est tenoris: *Clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit, nec postea, remoto metu, eandem ordinationem ratam habuit ... ad statum laicalem ... sententia iudicis redigatur, sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus.* Qui nempe ad statum laicalem ita redactus est, can. 132 § 2 praescripto minime tenetur. Sed hac de re fusius postea.

3. *Clerici minores possunt quidem nuptias inire, sed* etc. — Clerici quidem minores a matrimonio non prohibentur, proindeque licite contrahere possunt. Sed matrimonium, cum statu clericali prius adepto, consistere non potest, ed ideo si valide contractum fuerit, secumfert e statu clericali decisionem. — *Nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso.* Cum matrimonium quis contrahit per eam vim eumve metum, quae contractum irritum reddant, id, non contrahenti imputandum est, sed ei potius, qui vim aut metum intulit. Quare, tum ius innocentem clericum e statu clericali decidere non sinit. Ex adverso, si matrimonium contraxerit ex alio capite invalidum, quia, quamvis propter impedimentum dirimens aut errorem, invalide contraxerit, voluntas tamen contrahendi clerico ipsi imputanda est, hoc etiam in casu e statu clericali decidisse censetur. Quapropter, iure in Codicem recepto,

sola contrahendi voluntas ad effectum deducta, tametsi de facto effectus nullus sit, sufficere videtur ad statum clericalem facto ipso excludendum. Estque id ius plane novum. Siquidem iure Decretalium et Concilii Tridentini, quo ante promulgationem Codicis clerici minores utebantur, status clericalis, cum matrimonio postea contracto consistere poterat. Revera Bonifacius Pp. VIII, derogans aliquatenus vetustiori iuri, (c. un. *de cler. coniug.* III, 2 in VI°) ait: *Clerici qui cum unicis et virginibus contraxerunt, si tonsuram et vestes deferant clericales, privilegium retineant canonis, ab Innocentio Papa II praecedessore nostro editi in favorem totius ordinis clericalis. Et cum (iuxta Parisiense Concilium) nullus clericus distringi aut condemnari debeat a iudice saeculari, praesenti declaramus edicto, huiusmodi clericos coniugatos pro commissis ab eis excessibus vel delictis, trahi non posse criminaliter aut civiliter ad iudicem saecularem,* etc. Concilium vero Tridentinum bonifacianum decretum confirmavit, sed aliam conditionem adiecit. *In clericis vero coniugatis,* ait Concilium (sess. XXIII *de reformat.* cap. 6), *servetur constitutio Bonifacii VIII, quae incipit « Clerici qui cum unicis » , modo hi clerici alicuius ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem ecclesiae serviant vel ministrent,* etc. Idque ius, usque ad Codicis promulgationem perduravit.

4. *Coniugatus qui sine dispensatione apostolica ordines maiores* etc. — Nullus clericus ad statum coniugalem, sed, contra, coniugatus ex dispensatione Ap. Sedis ad statum clericalem, imo ad omnes ordines, admitti potest: status enim coniugalis id tantum facit, ut viri uxorem habentes sint quoad ordines simpliciter impediti (can. 987 n. 2). Agitur autem in paragrapho de maioribus ordinibus, a quorum exercitio prohibetur coniugatus, qui eos susceperit absque apostolica dispensatione. At quid, si minores ordines ita susceperit? Videtur non prohiberi: munera enim, quae horum ordinum exercitium respiciunt, laicis quoque permittuntur. Haec omnia de Ecclesia Latina, nam Orientales, diverso plane iure utuntur, quod ad Codicem non pertinet.

CAN. 133.

§ 1. *Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent.*

§ 2. *Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et huiusmodi, aut a quibus spectata morum honestas, cum provectiore aetate coniuncta, omnem suspicionem amoveat.*

§ 3. *Iudicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cuius est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere.*

§ 4. *Contumaces praesumuntur concubinarii.*

1 Ex canone praecedenti, clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur, tenenturque peculiari obligatione castitatis servandae; hoc in canone Legislator castitati clericorum ac bonae existimationi cavet. Quare, ex sententia canonis, duo sunt clericis vitanda: periculum et suspicio incontinentiae.

2. *Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio* etc. — Heic clerici lata significatione accipiuntur et religiosos quoque, sive sacerdotes sive laicos, comprehendunt. Clericis igitur illicitum est, apud se retinere aut quovis titulo frequentare mulieres, de quibus suspicio esse possit. Sunt autem iustae causae suspicionis, mulieris pravi mores, levitas, mala fama, aetas iuvenilis, suspectum vitae genus, etc. Sed fere impossibile est *a priori* omnes circumstantias definire, quae suspicionis iustam causam dare possunt; haec videntur esse extrema capita legis: 1°) causam futilem suspicionis non esse attendendam, siquidem esset iniustum in clericum animadvertere, propter effraenatam quorundam ac malam cupiditatem detrectandi; 2°) iusta causa extante, clericus a muliere cavere tenetur.

3. *Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare*, etc. — Cohabitare ii dicuntur, qui in eadem domo, sub eodem tecto commorantur. Concilium Illiberitanum videtur primum cohabitationem huiusmodi expresse interdixisse, et quidem severius. *Episcopus*, ait Concilium (can. 27), *vel quilibet alius clericus, aut sororem aut filiam virginem dicatam Deo tantum secum habeat: extraneam nequaquam habere placuit.* Sed paucos post annos, et mitius, Concilium Nicaenum (a. 325): *Interdixit per omnia sancta Synodus non Episcopo, non presbytero, non diacono vel alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem aut amitam, aut etiam eas idoneas personas, quae fugiant suspiciones* (Ex *Decreto* Gratiani, c. 16 D. XXXII). Et haec disciplina usque ad nos eadem permansit estque in Codicem recepta. Itaque agitur in hac paragrapho de cohabitatione, non de frequentatione. Ut autem cohabitatio clerici cum muliere licita sit, conditiones a Legislatore taxative requisitas intercedere debent. Est autem duplex conditio: vel enim posita est in naturali foedere, vel si de muliere extranea agatur, in spectata morum honestate cum provectiore aetate coniuncta. Est vero communis canonistarum sententia, licitam esse clericis cohabitationem cum feminis consanguineis et affinibus in primo vel secundo gradu (cfr. Benedictus Pp. XIV, *Instit. ecclesiast.* 83), dummodo bonis moribus eniteant.

4. *Iudicium an retinere vel frequentare mulieres* etc. — Cum, uti supra diximus, sit fere impossibile certam regulam hac in re *a priori* statuere, iudicium super licita retentione aut frequentatione mulierum, ad Ordinarium pertinet, ea quoque de causa, quod, nedum personae mulieris, sed etiam indolis atque ingenii clericorum ratio habenda est. Quare

potest Ordinarius, retentionem aut frequentationem earum etiam mulierum clerico interdicere, in quas communiter suspicio non cadit, ex. c. quia consanguineae aut provectae aetatis. Idque facile intelligitur.

5. *Contumaces praesumuntur concubinarii.* — Concubinarius dicitur, qui extra matrimonium habituale commercium cum muliere habet. Est autem contumax clericus, qui dicto Ordinarii non paret; qui mulierem, a qua Ordinarius prohibuerat, retinere aut frequentare pergit. Hic concubinarius censetur praesumptione iuris: quare, absque ulla probatione delicti, nisi legitimas excusationis causas adducat (can. 2178 et 2179), potest iis poenis plecti, quae in clericos concubinarios a iure irrogantur. Hae can. 2177 continentur: *Si clericus neque praecepto pareat, neque respondeat, Ordinarius, postquam sibi constiterit id clericum praestare potuisse:* 1° *Eum suspendat a divinis;* 2° *Parochum praeterea statim paroecia privet;* 3° *Clericum vero qui aliud beneficium sine animarum cura habet, si, exacto bimestri tempore a suspensione, sese non emendaverit, privet dimidia parte fructuum beneficii; post alios tres menses, omnibus beneficii fructibus; post alios tres menses ipsomet beneficio.*

Can. 134.

Consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est, eaque, ubi viget, quantum fieri potest, servanda.

Tum clerici vitam communem agere dicuntur, cum saltem et sub uno tecto degunt, et eadem mensa utuntur. Ex sententia canonis tenentur clerici obligatione vitam communem nequaquam parvipendendi ac ubi viget, nisi iusta causa subsit, servandi; Ordinarii vero, obligatione sua auctoritate servandi, promovendi, suadendi.

Can. 135.

Clerici, in maioribus ordinibus constituti, exceptis iis de quibus in can. 213, 214, tenentur obligatione quotidie horas, canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros.

1. Omnes fideles iure divino positivo orandi obligatione tenentur. Verum, cum Ecclesia persona moralis sit, et quidem divinitus constituta (can. 100 § 1), et qua talis oportebat eam preces Deo exhibere. Idque merito per publicas ecclesiasticas personas, nempe clericos, factum est. Itaque privatis precibus fidelium, preces quoque publicae, Ecclesiae nomine persolutae, accesserunt. Sed neque precandi ratio, neque id publice faciendi obligatio, semper eadem fuit. Non ratio precandi. Haec ab initio in psalmorum recitatione atque decantatione potissimum consistebat. Deinde paullatim, monachorum praesertim cura, divini officii,

prout nunc habemus, formam induit, Romanis Pontificibus suadentibus ac suprema sua auctoritate probantibus. Quoad clericorum vero obligationem, haec videtur a saec. V initium coepisse. Ait enim Concilium Tolosanum I (c. 5): *Si quis presbyter aut diaconus vel quilibet clericus ecclesiae deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo ecclesia est, et ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis ad ecclesiam non convenerit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab episcopo per satisfactionem noluerit promoveri.* Habitum autem est Concilium I Toletanum a. 400 (cfr. Funck *Stor. della Chiesa* § 50 n. 8). Quod postea decretum Martinus Pp. I in Synodo romana (a. 649) confirmavit. Interim vero Concilium Venetiarum in Britania min. (a. 465) ac Iustinianus Aug. eandem disciplinam sanciebant. Singulari nota digna sunt Iustiniani verba (l. 42 C. I, 3): *Praeterea sancimus, ut omnes clerici per singulas ecclesias constituti per se ipsos nocturnas et matutinas et vespertinas preces canant, ne ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione clerici appareant, nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentes clerici circa ministerium Domini Dei. Turpe enim est, pro ipsis scriptos, necessitate ipsis inducta canere. Si enim multi laicorum, ut suae animae consulant, ad sanctissimas ecclesias confluentes studiosos circa psalmodiam se ostendunt, quomodo indecens non fuerit, clericos ad id ordinatos non implere suum munus?* Haec Imperator! Deinde, exclusis ecclesiis cathedralibus, collegiatis, conventualibus, praxis introducta est publicas Ecclesiae preces privatim recitandi. Saeculo autem XIII, obligatio divinum officium privatim recitandi, ad clericos maiores aut beneficio ecclesiastico fruentes, prius consuetudine, postea vero Leonis Pp. X const. *Supernae* (5 maii 1514) coarctata est. Huiusmodi tandem disciplinam Pius Pp. V. confirmavit (const. *Ex proximo*, 20 sept. 1571). Et hoc iure nos quoque utimur.

2. *Clerici in maioribus ordinibus constituti* etc. — Clerici maiores omnes obligatione divini officii recitandi tenentur, sive beneficiati sint sive non beneficiati. In primis igitur, divini officii obligatio oritur ex suscepto subdiaconatu. Quare? Quia, ut ait Benedicitus Pp. XIV (instr. *Eo quamvis tempore,* 4 maii 1745, § 42 sq.) *cohaeret ordini sacro divinum pensum horarum canonicarum; illudque veteri traditione acceptum et immemorabili consuetudine in more positum fuisse, docet communior theologorum opinio.* Revera, vi voti sollemnis castitatis subdiaconatui coniuncti, et promissione obedientiae Episcopo facta, clericus et a mundi illecebris abstrahitur et Deo atque Ecclesiae, quo usque humanae naturae fas est, devincitur, fitque, ad publice orandum Ecclesiae nomine, idoneus. Et sane religiosus quoque, quamquam subdiaconatu vel etiam minoribus ordinibus expers, ad officium recitandum obligatur professione sollemni (can. 610 § 3). Deinde eadem obligatio oritur ex beneficii collatione (can. 1475), de qua postea.

3. Sequitur: *Exceptis iis de quibus in can. 213, 214.* — Can. 213 decernit clericos ad statum laicalem legitime redactos, si *in sacris* fuerint, obligatione coelibatus teneri: non ideo divini officii recitandi. Canon vero 214 decernit, clericum, qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea ratum habuit, posse sententia iudicis ad statum laicalem redigi absque ulla clericali obligatione.

4. *Tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi.* — Et primum recitandi quotidie: est namque divini officii recitatio onus diei. Unde, qui publice recitat, tenetur choro interesse tempore a iure statuto. Qui recitat privatim, obligationem substantialiter implet, si inter duas medias noctes sibi subsequentes recitaverit. Possunt vero mediae noctes supputari vel iuxta usualem temporis supputationem vel iuxta loci tempus verum aut medium aut regionale aut etiam extraordinarium (cfr. comm. ad can. 33 n. 1). Deinde integre divinum officium recitandum est. Moralistae hac de re multa disputant. Unum innuere sufficiat: officium divinum ita esse conflatum, ut quid quodammodo indivisum constituat; quare, si partem etiam modicam demas, ex. c. *Completorium*, integritas substantialiter evanescere videtur. Puto hac de causa, communi doctorum sententia (cfr. D'Annibale, *Summula*, III n. 147), eum graviter legi contra facere, qui huiusmodi vel aequipollentem divini officii partem omiserit.

5. *Secundum proprios et probatos liturgicos libros.* — Hinc ratio recitandi diversissima esse potest: nam clerici Ecclesiae Orientalis suo peculiari iure hac etiam in re utuntur; item Ordines religiosi Ecclesiae Latinae, quibus proprium Breviarium concessum est. Intra fines autem Latinae Ecclesiae *beneficiarii tenentur semper ad officium propriae ecclesiae* (nempe tum quoque, cum extra beneficium vel dioecesim commorantur); qui vero beneficio non gaudent, *conformari possunt cum officio loci, ubi morantur* (S. Rituum Congr. in *Marsorum*, 12 nov. 1831 n. 42). Item *Seminarii alumni sacris ordinibus initiati adiguntur ad sequendum calendarium ecclesiae Seminario adiectae*, eodemque modo *magistri in Seminario ipso degentes* (ead. Congr. in *Adrien.* 7 sept. 1850).

6. Obligatio vero divini officii recitandi, sicut et alia quaelibet obligatio, cessare potest aut excusatione aut dispensatione. Excusatione cessat, cum clericus versatur in impossibilitate physica vel morali obligationem implendi; tum vero extat moralis impossibilitas, cum ista positiva Ecclesiae lex cum alia, gravioris tum momenti, confligit, sive haec naturalis sit sive positiva. Deinde cessare potest per dispensationem tum R. Pontificis, qui hac in re nulla lege adstringitur, tum inferiorum Ordinariorum ad normam can. 81-84.

Can. 136.

§ 1. *Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant, tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant.*

§ 2. *Annulo ne utantur, nisi id ipsis a iure aut apostolico privilegio sit concessum.*

§ 3. *Clerici minores qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt.*

1. Canon agit de habitu clericorum, atque ita Legislator absolvit obligationum positivarum tractationem. Verum, aliud est vestis sacra, aliud habitus ecclesiasticus: prior ad actiones liturgicas pertinet, posterior ad vitam quotidianam. De habitu ecclesiastico nobis disserendum est. Videamus igitur quandonam et quare sit introductus, qualis esse debeat et quando clerici deferendi obligatione teneantur.

2. Ecclesiae primordiis clerici, desevientibus persecutionibus, togata veste more romano utebantur, nec a laicis hac in re secernebantur. Tum vero secerni coeperunt, cum *bracatae et transalpinae nationes* (Cic. IX *ad famil.* 15) in Italiam migrarent: nam clerici, sicuti lege, ita et romano indumento uti perrexerunt. Postea Concilium Lateranense IV (a. 1225) cap. 16 decrevit: *Clerici . . . clausa deferant desuper indumenta nimia brevitate vel longitudine non notanda.* Hinc vestis talaris, idest usque ad talos pertingens, inducta multis in locis per decreta Conciliorum provincialium atque Episcoporum. Deinde Concilium Tridentinum (a 1545-1563) sess. XVI *de reform.* c. 6: *Quia vero . . . oportet clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, . . . propterea omnes ecclesiasticae personae quae aut « in sacris » fuerint, aut dignitates, personatus officia aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab episcopo suo . . , moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini et dignitati congruentem, et iuxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem* etc. Nimirum Concilium nihil fere innovavit et Episcopis reliquit ius habitus ecclesiastici formam et colorem statuendi. Tandem Sixtus Pp. V (constit. *Cum sacrosanctam* § 1 et 2) ait: *Animadvertentes quod, qui in sortem Domini ad eiusdem Ecclesiae decus et ornamentum sunt vocati, et ex eo clerici nomen consecuti . . . singulari aliquo signo a reliquo populo distingui debent, . . . praecipimus et mandamus omnibus et quibuscumque clericis, non solum in sacris, sed etiam in aliis minoribus ordinibus costitutis et clericali tantum tonsura insignitis . . .*

ut tonsuram et habitum clericalem, vestes scilicet « talares » . . . assumere et « iugiter » deferre. Haec tamen Sixti V constitutio numquam ubique moribus recepta est, sed usuali interpretatione hic illic in mitiorem sensum accepta, ita nempe, ut clerici minores non beneficiati ad habitum ecclesiasticum deferendum non tenerentur, nisi lege mere poenali (cfr. Wernz, *Jus decret.* t. II n. 177), ideoque nulla positiva obligatione: quoad formam vero et colorem servarentur consuetudines ac Ordinariorum decreta. Quod ius Codex ex parte recepit, ex parte immutavit.

3. *Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum* etc. — Canon clericos saeculares respicit iubetque eos omnes, nullo excepto, habitum ecclesiasticum gestare. Est igitur haec lex et generalis et praeceptiva, et ex hac parte ius vetus immutatum est. Nimirum, in primis habitus clericorum ecclesiasticus esse debet, idest debet a veste laicorum posse distingui, *singulari*, ut ait Sixtus Pp. V l. c., *aliquo signo*, sive ex forma, sive ex colore sive saltem ex cruce (uti apud nos superioris belli tempore) aliove signo in eodem insuto aut impresso. Deinde quoad signum, colorem, formam, decens esse debet, videlicet clericali gravitati ac decori consentaneus. Adde, quemlibet clericum Missam celebraturum non alia veste quam talari indutum esse oportere (can. 811 § 1). Haec iure communi statuuntur, ideoque Ordinariorum potestati subtrahuntur: cetera omnia reguntur iure particulari. Ita ex. c. S. Congr. de Prop. Fide (instr. 9 apr. 1883) Vicario Ap. roganti respondit: *A. T. exponit istos gentiles vehementer abhorrere nigra vestimenta, affirmatque plurimos christianam fidem amplexuros, si togae albi coloris missionariis et clericis permitterentur: S. C. pro fine tam recto tantique momenti, minime dissentit, quin missionarii in istis regionibus cuiuslibet coloris vestes adhibeant, dummodo a modestia et gravitate sui muneris minime abhorreant.* Quae hactenus dicta sunt, clericum respiciunt dum publice agit, nam, cum domi versatur substantialiter deficit ratio legis. Imo, cum de lege mere ecclesiastica agatur, gravi causa extante, ex. c. timoris, charitatis, ministerii, etc. non tenet.

4. Modo de tonsura ac deinde de ornamentis clericorum, quae habitum ecclesiasticum quodammodo complent. Ait Legislator: *Tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti.* etc. — Idem hic esse videtur tonsura et corona, quamvis initio diversam haberent significationem (cfr. Gasparri, *De sacra ordinat.* n. 36). Tonsura igitur eo plane modo, quo decens habitus ecclesiasticus, clericis praescribitur, iisdemque restrictionibus haec obligatio subiicitur, imo clericus prorsus eximitur ab onere gestandi, ubi (ex. c. in Statibus Foederatis Americae septentr.) id ferant recepti populorum mores. Deinde, sive tonsura gestetur sive minus, simplex clerico adhibendus est cultus capillorum: simplex, inquam, idest tum ab artificio, tum a negligentia alienus. — Canon non loquitur de barba clericorum. Quare, censuerunt quidam, ad normam

can. 6 n. 6, legem de barba a clericis non ferenda omnem vim amisisse. Sed contra, S. Congr. Concilii id rogata, 10 ian. 1920 respondit: *negative.* Nec immerito: nam can. 6 n. 6 vim adimit solummodo legibus generalibus ante Codicem vigentibus, et in Codice neque explicite, neque implicite contentis. Nunquam autem extitit lex generalis de barba a clericis non ferenda: siquidem mos eam non gestandi universalis evasit per consuetudinem iure particulari quandoque firmatam. Haec igitur consuetudo *praeter ius*, sicut et ceterae huiusmodi, quousque contraria lex aut generalis aut specialis ab Ap. Sede promulgetur, cum universalis sit, et absque Ap. Sedis saltem tacito consensu abrogari non potest, et servanda committitur curis Ordinariorum.

5. Sequitur: *Annulo ne utantur, nisi id ipsis a iure* etc. — Annulus, ait *Ordo romanus*, est *honoris, fidei signum.* Qua fidei signum est, Episcopis et Abbatibus traditur in haec verba: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodias* (*Pontif. Rom.* tit. *De consecr. electi in episc.*; tit. *De benedict. abbatis*). Eademque ratione utuntur Patres Cardinales ac Praelati *nullius* (can. 325). Qua vero signum est honoris, annulo utuntur Praelati qui sunt *honoris causa*, iique clerici, qui laurea doctorali sunt insigniti. Et illis quidem, propter significationem fidei, semper annulus deferendus est; contra, isti in Missa celebranda ceterisque sacris functionibus annulo prohibentur, nisi aliter ferat apostolicum indultum (can. 811 § 2) vel usu insignium pontificalium fruantur: hi omnes usum annuli habent a iure; ceteri clerici habere possunt ex privilegio apostolico.

6. Denique in clericos contra facientes ius animadvertit. *Clerici minores, qui propria auctoritate* etc. — Habitus et tonsurae dimissio non est quaelibet depositio, sed quae illegitime et arbitrarie fiat. Quare, is proprie videtur habitum et tonsuram dimittere, qui: 1) ex toto dimittit, ita ut a laico secerni non possit; 2) dimittit publice; non enim tenemur privatim deferre; 3) per notabile tempus: siquidem non videtur habitum dimittere, qui statim resumit; 4) absque iusta causa vel sine iussu, consilio, venia Superioris. Quod si contigerit, alio et alio iure censentur clerici, prout in minoribus aut sacris ordinibus constituti fuerint: si minores, elapso inutiliter mense ab Ordinarii monitione, e statu clericali decidunt, omnia nempe amittunt privilegia ac iura clericorum, et ad statum laicalem rediguntur (cfr. can. 211 et 213), idque ipso iure absque ulla Superioris declaratione; si vero de clericis *in sacris* agatur, post mensem a monitione, ob tacitam renunciationem a iure praesumptam, eorum officia, si quae habeant, ipso facto vacant (can. 188 n. 7) ac praeterea ab exercitio susceptorum ordinum debent suspendi, ac tandem deponi quoque possunt (can. 2379).

CAN. 137.

A fideiubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario.

Legislator ea tractare hic incipit, quibus clericos abstinere oportet: agit nempe de obligationibus negativis clericorum. Et primum quamlibet fideiussionem, propria auctoritate factam, clericis interdicit. Is fideiubere dicitur, qui alienam obligationem in se suscipit, si debitor non solvat, et principali debitore obligato manente. Plura sunt genera fideiussionum: alia est *voluntaria*, alia (quae scilicet, fit lege, magistratu, iudice iubente) *necessaria*; alia *directa*, alia *succedanea*; alia *singularis*, alia *in solidum*, etc. Omne genus fideiussionis clericis interdictum est, inconsulto loci Ordinario, sive de bonis ecclesiarum sive etiam de propriis. Patet tamen fideiussioni necessariae, quae iudicio laicali (cfr. Cod. civ. ital. art. 1923) praecipiatur, se subtrahere clericum non posse. At quare clericis prohibetur, inconsulto Ordinario? Ratio duplex esse videtur: 1) in genere, ad vitandas controversias, quae oriri solent fideiussionum causa; 2) ne a clerico, beneficium habente aut ecclesiam regendam aut commendam etc., cum propriis bona quoque ecclesiastica periclitentur. Cum autem omnes alienationes bonorum ecclesiasticorum cum permissu saltem Ordinarii fieri debeant et ex causa proportionata, ideo clerici fideiubere non possunt inconsulto Ordinario, nisi agatur de obligatione tam parvi momenti, cui possit applicari praescriptum can. 1535: siquidem, si ad certam pecuniae summam clerici donare possunt, evidens est usque ad eandem summam iisdemque circumstantiis eos posse fideiubere. Extra hunc casum, cum fideiussio bonorum alienationi aequiparari possit, videntur clerici, inconsulto Ordinario fideiubentes, iisdem poenis esse plectendi, quibus ex praescripto can. 2347 illegitime alienantes plectuntur. Tamen lex irritans non est: obstabat enim lex civilis, ad cuius tramitem fideiussiones plerumque fiunt.

CAN. 138.

Clerici ab iis omnibus quae statum suum dedecent, prorsus abstineant; indecoras artes ne exerceant; aleatoriis ludis, pecunia exposita, ne vacent; arma ne gestent, nisi quando iusta timendi causa subsit; venationi ne indulgeant, clamorosam autem nunquam exerceant; tabernas aliaque similia loca sine necessitate aut alia iusta causa ab Ordinario loci probata ne ingrediantur.

1. Quaedam sunt, quae laicum decent, clericum non decent, nempe qua clericus est. Est namque clerici administratio sacrorum: ideoque,

non quidem ratione personae, sed ministerii spiritualis, oportet eum rebus quibusdam, etsi in se honestis aut indifferentibus, abstinere. Et primum Legislator generaliter loquitur: *Clerici ab omnibus quae statum suum dedecent, prorsus abstineant.* — Ea dedecent statum clericalem, quae cum eo apte componi non possunt, habita quoque ratione morum atque circumstantiarum: proinde iure particulari in genere determinanda relinquuntur. Tamen Codex quaedam peculiariter enumerat, quae dedecent statum clericorum.

2. *Indecoras artes ne exerceant.* — Quaenam artes indecorae habendae sunt? Ars, proprie, est regula, quae certam viam exhibet ac rationem faciendi; latiore vero sensu, dicitur de quocumque exercitio, quo quis operatur sive mente sive corpore. Inde artes liberales, ingenuae, sordidae, turpes, veluti apud priscos Romanos ars mimica. Sordidae artes clericis indecorae sunt. Et revera ex. c. lanionem agere, clericum, cuius lenitas abhorret a sanguine, dedecere nemo est qui non videat.

3. *Aleatoriis ludis, pecunia exposita, ne vacent.* — Aleatorius est ludus, cuius exitus non ab ingenio, sagacitate, industria, sed a casu pendet. Potest autem vel ex toto vel ex parte tantum pendere: quod si ex parte, ludus proprie aleatorius non est (cfr. S. Alphonsus, *Theol. mor.* III, 900). Ludi igitur aleatorii clericis interdicuntur, nempe (nisi propter exiguitatem pro nihilo reputetur) pecunia exposita: nam alias quod interdicatur non est. Ad rem S. Congr. de Prop. Fide (instr. aug. 1827): *Animadvertere ipsi* (clerici) *debent, hominem per ludos ad fraudes, fallacias, mendacia, furta, periuria aliaque enormia scelera incitari consuevisse.* Sed haec non intelliguntur, nisi pecunia exposita fuerit. *Senatusconsultum*, ait Paulus (fr. 2 D. XI, 5), *vetuit in pecuniam ludere, praeterquam si quis certet hasta vel pilo iacendo vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fit* Si igitur iure romano — sicut etiam iure civili nostri temporis (cfr. Cod. civ. ital. art. 1802) — omnis ludus, qui ad aemulationem et civicam virtutem non pertineat, pecunia exposita tanquam turpis habetur, ideoque vel interdictus est vel saltem actio non datur (ibid.) ad pecuniam victo repetendam, nihil mirum id clericis a iure vetari.

4. Sequitur: *Arma ne gestent, nisi quando iusta timendi causa subsit.* — Armorum sine causa gestatio feritatem sapit et cum christiana charitate, quae maxime in clericis elucere debet componi non potest: hinc prima pars praescripti. Sed vicissim cuilibet ius est sese defendendi ab iniusto aggressore, et ideo, cum iusta timendi causa subest, arma a clericis quoque ferri possunt. Quandonam vero causa timendi tanquam iusta et non futilis habenda sit, magna ex parte pendet a circumstantiis.

5. *Venationi ne indulgeant, clamorosam autem nunquam exerceant.* — Venatio, quae fit magno apparatu hominum, canum, retium, armorum, clamorosa dicitur iure nostro; alias quieta. Utraque rursus aut mode-

rate fit aut frequenter. Codex tum clamorosam, tum etiam quietam, sed frequentem, clericis vetat; de quieta vero, quae moderate fit, venatione non loquitur: ideoque de ea constituere, sicut etiam poenas legi, contra frequentem aut clamorosam, adnectere (cfr. can. 2221) Ordinariorum est. Et revera, ex. c. S. Carolus Borromaeus, in suo Concilio provinciali a. 1565 habito (cfr. *Acta Eccl. Mediolanen.* p. I pag. 19), absolute praecipit, ut clerici *a venatione abstineant.* Nimirum, est ecclesiastici legislatoris fovere bonos mores, scandala atque delicta prevenire. Totum igitur negotium pendet a personarum locorumve adiunctis. Tamen, quoad poenas in contra facientes irrogandas, sciendum est inferiori legislatori, requiri, ad normam iuris communis, aequam proportionem cum delicto (can. 2218 § 1) sive puniendo sive fortasse praeveniendo (cfr. S. Congr. Conc. in *Gnesnien. et Posnanien.* 11 iun. 1921).

6. Denique: *Tabernas aliaque similia loca sini necessitate* etc. — Canonis praescriptum duo continet: 1°) clericis generaliter abstinendum esse tabernis; 2°) legem tamen non tenere, si necessitas urgeat, aut iustam subesse causam ingrediendi Ordinarius quomodocumque recognoverit. *Taberna* plura significat, in primis aedificium quod habitari potest, praesertim a pauperibus. Horatius (I *Od.* IV, 13):

pauperum tabernas
regumque turres.

Saepius vero taberna dicitur locus, ubi merces venduntur ac ubi artifices artem suam profitentur. Hinc Ulpianus (fr. 185 D. L, 16): *Instructam autem tabernam sic accipiemus, quae et rebus et hominibus ad negotiationem paratis constat.* Quare apud Romanos dicebatur: *taberna libraria, sutrina, vinaria, cretaria, casearia, unguentaria, argentaria, purpuraria, diversoria,* etc. Iure nostro taberna pro caupona seu taberna vinaria accipitur, aut quae huic similis sit, ex. c. ubi cerevisia venundatur. Hoc tabernarum genus ingredi clerici vetantur. Has namque laici saepe ingrediuntur, ut

ardentis Falerni
pocula

cumulatius hauriant. Ad rem S. Congr. de Prop. Fide (decr. 13 apr. 1807, XIV): *Quo vero ad illos* (clericos) *qui . . . in tabernis vel officinis vino epotando dant operam,* etc. Ideoque abstinendum est et ratione decoris et ratione scandali: videlicet, nisi necessitas compellat, ad famem, sitim extinguendam, vel ad negotium, quod moram non patiatur, peragendum; vel nisi, extra necessitatem, causa ingrediendi fuerit ab Ordinario probata. Quae probatio, uti patet, multimode fieri potest, etiam cum Ordinarius inductae consuetudini non obsistit: ideoque et hic multum possunt mores atque circumstantiae peculiares.

Can. 139.

§ 1. *Ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent.*

§ 2. *Sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant; tabelliones seu publicos notarios, nisi in Curia ecclesiastica, ne agant; officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt, ne assumant.*

§ 3. *Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationum; procuratoris aut advocati munus ne exerceant, nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae; in laicali iudicio criminali, gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes.*

§ 4. *Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos « deputatos » vocant munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est.*

1. Sunt quaedam, quae, quamvis non sint indecora, a statu tamen clericali aliena sunt: *Nemo* enim *militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II ad Tim. II, 4). Et haec quoque in genere vitanda sunt clericis: sed Codex quaedam in specie recenset, quae a statu clericali sunt aliena.

2. *Sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant.* — Tum dicitur quis artem medicam exercere, cum sive ad quaestum sive absque quaestu, eam ex professo, medicorum more, exhibet postulantibus: idque sine apostolico indulto clericis vetitum est. Quae vero fuerit hac in re mens Legislatoris, satis constat ex indulto, a S. Congr. de Prop. Fide 4 aug 1628 concesso, ac inter fontes relato: *Petente*, ait Congregatio, *sacerdote C. Clemer, in Missionem Anglicanam profecturo, dispensationem, ut possit medicinae artem, cui operam ante sacerdotium dederat, exercere, quod huiusmodi praetextu facilior ei futurus sit aditus ad administranda Sacramenta catholicis Anglis et ad convertendos haereticos, praesertim in periculo mortis constitutos: S. C. censuit, si SS.mo placuerit, petitioni oratoris annuendum esse, ita tamen ut medicinae artis exercitium medium esse deberet et non principalis scopus, quem convenit missionariis esse ministerium. — Die 9 aug. SS.mus D. N. Congregationis decretum approbavit, additis duabus aliis conditionibus in dispensatione apponendis: 1) Ut orator gratis operam suam in medicinae arte praestet. 2) Ut a sponte dantibus nihil recipiat ultra suam necessariam sustentationem.* Videtur igitur in eo posita esse ratio legis, quod a statu cleri-

cali, tum chirurgiae studium, quod sine exercitationibus anatomicis non fit, tum medicinae et praesertim chirurgiae exercitium aliena sunt, et propter indolem artis et propter periculum inde secuturae mortis vel mutilationis: quo in casu clericus irregularis fit *ex delicto* (can. 985 n. 5 et 6). Tamen, nedum urgente necessitate, verum etiam, cum, quavis de causa, difficilis fuerit ad Ap. Sedem recursus, ex charitate, periculo de quo supra remoto et sine lucro, videntur clerici hac antea quaesita arte obiter uti posse.

3. *Tabelliones seu publicos notarios, nisi in Curia ecclesiastica ne agant.* — Ars quoque notarilis, cuius est acta iudicialia ac privata conscribere atque servare, quaeque post invasiones barbaricas, uti ex actorum subsignationibus constat, a clericis plerumque exercebatur, ab anno circiter 800 (cfr. Pertile, *Storia del dir. ital.* VI, § 223) clericis in sacris religiosisque interdicta est. Codex facultatem facit hanc artem exercendi in Curia ecclesiastica, imo edicit, clericos prae laicis esse ad hoc munus deputandos (can. 373 § 3); imo etiam interdum omnino requirit clericos sacerdotio initiatos, veluti in causis criminalibus clericorum (ibid.) vel in causis Sanctorum (can. 2013 § 2, 2017).

4. *Officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis* etc. — Officium publicum civile est, quod vi iuris publici (constitutionalis, administrativi, proceduralis, poenalis, internationalis) defertur; officia privata iuris privati vi deferuntur. Hinc officia publica sunt ex. c. officium supremi Principis, administri, consiliarii Status; praefecti, adsessoris provinciae, civitatis; iudicis, promotoris iustitiae, etc. Ab his distinguenda sunt diligenter munera *ordinis publici* seu coactivi (cfr. Stolfi, *Dir civ.* I n. 341) veluti ex. c. tutela et cura: siquidem munera huiusmodi *necessarie obimus, lege, more imperiove eius qui iubendi habet potestatem* (cfr. *Cod. civ. ital.* art. 272 seqq.). Quae officia ceteraque similia vel iurisdictionem vel administrationem laicalem secumferunt: iurisdictionem quidem ea, quae publicam potestatem executivam vel iudiciariam participant; administrationem cetera, veluti officium consiliarii Status. Haec omnia absque apostolico indulto assumere clerici vetantur.

5. *Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum* etc. — Tum quis init gestionem bonorum ad laicos pertinentium, cum horum bonorum administrationem in se suscipit sive ex testamento, sive ex contractu, sive ex quasi-contractu de negotiorum gestione. Officia vero saecularia, de quibus in canone, sunt officia privata ex. c. alicuius sodalitii vel utcumque operis laicalis. Ad rem Pius Pp. X decr. *Docente Apostolo* (11 nov. 1910): *Cum nostris diebus quamplurima ... instituta sint opera in temporale fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales*, etc. *Quapropter SS.mus D. N. ... prohibet omnino ne sacri ordinis viri ... munia illa exercenda suscipiant ... quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumfe-*

rant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii, horumque similium. Huiusmodi igitur gestiones atque officia inire clerici non possunt, absque licentia sui Ordinarii, qui, sive ex eo quod ante Codicem id Ap. Sedes sibi reservaverat, sive ob coniuncta pericula, extra necessitatem haud faciles erunt ad concedendum, etiam obiter et ad tempus.

6. *Procuratoris aut advocati munus ne exerceant, nisi* etc. — Agitur hic de procuratoribus *ad lites*, cuius est actoris vel rei conventi apud tribunal personam gerere. Procuratoris aut advocati munus, sine licentia proprii Ordinarii, apud civile tribunal exercere clericis interdicitur, nisi in causa propria, idest quae personam clerici respiciat, sive qua clerici, sive qua civis; aut suae ecclesiae, eius nempe, in qua aut beneficium aut officium habent. Olim ecquidem permittebatur clericis apud laicale tribunal causas agere *miserabilium personarum.* Quod ius, iam a pluribus saeculis fere inutile, per Codicem sublatum esse videtur. Nec immerito: cum enim saec. XIII introductum fuerit et in foro civili gratuitum patrocinium (cfr. Pertile, *Storia dir. ital.* VI, § 222) non adeo evasit necessarium patrocinium clericorum.

7. *In laicali autem iudicio criminali, gravem personalem poenam* etc. — Iudicium aut contentiosum est, seu civile, aut criminale. Contentiosum est, cum agitur de iure definiendo; criminale, cum de definiendo ac puniendo delicto. Clerici, absque venia sui Ordinarii, nullam partem habere possunt in laicali iudicio criminis, gravem poenam personalem prosequente. Nimirum poena, quam promotor iustitiae in criminali iudicio prosequitur, personalis esse potest aut realis; et rursus aut gravissima, aut gravis, aut levis. Personalis est, quae in personam irrogatur, veluti in carcerem detrusio, segregatio cellularis, ieiunium poenale, triremibus damnatio, poena capitalis; realis est, quae irrogatur in bona. Gravissima autem poena est, aut gravis, aut levis prout gravissime, aut graviter, aut leviter personam plectit vel bona delinquentis: at in praxi haud facile est limites definiri. Cum vero poena et personalis est et gravis clerici ne testimonium quidem ferre possunt sine necessitate, idest sponte nullo iure nullaque causa cogente. Quod si non ius civile, sed alia causa cogat, et haec Ordinario probanda esse videtur.

8. *Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos «deputatos» vocant,* etc. — *Caute videant* (nempe clerici), monet Leo Pp. XIII (ep. encycl. *Constanti Hungarorum*, 2 sept. 1893), *ne civilium vel politicarum rerum studiis plus nimio se dedant... Certe, exteriorum providentiam... in internorum sollicitudine rectum est non relinquere: nominatimque, quum de religione tuenda aut de communi bono provehendo agitur, non sunt profecto ea negligenda praesidia atque adiumenta, quae tempus vel locus afferat. Summa tamen prudentia vigilantiaque opus est, ne scilicet gravitatem modumque transiliant sacri ordinis viri, et minus ipsi coelestia quam*

humana curare videantur. Quibus Pontificis verbis tota ratio legis continetur. Itaque clerici, absque competentis Superioris licentia, neque sinuntur id munus, laicorum more, sollicitare, neque acceptare, si sponte fuerit oblatum. Canon vero de Ordinariis ipsis non loquitur: quare videbantur iuxta veterem disciplinam (cfr. Wernz, *Jus decretal.* t. II n. 225, VI), quemadmodum poterant aliis licentiam dare, ita et ipsi, salva residentiae lege, haec munera libere suscipere posse. At, cum quaestio Commissioni Pontif. ad Codicem interpretandum fuerit delata, haec, legem authentica interpretatione clarius explicando, respondit (25 apr. 1922): *Si vi constitutionis civitatis, Cardinales, Archiepiscopi,Episcopi sint de iure senatores, et Sancta Sedes aliquo modo id probaverit, possunt sine licentia Sanctae Sedis huiusmodi munus explere, dummodo per Vicarium generalem aliove modo suis obligationibus satisfaciant. In quolibet autem alio casu* (et ideo etiam si de deputatione agatur) *Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi sive residentiales, sive titulares indigent venia Sanctae Sedis.* Praeterea *potius difficiles quam faciles se praebere debent in licentia concedenda sacerdotibus, qui se candidatos ad deputatorum comitia sistere cupiunt.*

CAN. 140.

Spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint.

Spectaculum hic dicitur quidquid spectandum se praebet oculosque delectat, praesertim vero pro ludis scenicis accipitur. Pompa est processio multorum simul (*corteo, cortège*) sollemniter et cum apparatu. Itaque esse possunt spectacula, choreae, pompae, quae clericos nequaquam dedecent, veluti ex. c. quae in catholicis ephebeis aut etiam quandoque intra domesticos parietes fiunt. His interesse et licitum clericis et etiam interdum obligatorium esse potest. Alias, tenet lex id prohibens, quaeque canone continetur. Tenere autem potest duplici de causa: vel quia spectacula, choreae, pompae ea sunt, quae clericos, in *sortem Domini* vocatos, dedeceant et haec causa dici potest *obiectiva*; vel quia, quamvis per se non dedeceant, tamen clericos interesse scandalo est, et haec est veluti causa *subiectiva* prohibitionis. Si igitur de facto neutrum subsit, nulla extat, saltem iure communi, prohibitio; si alterutrum, graviter; si (ut plerunque accidere solet) utrumque extiterit, gravius; si praeterea agatur de publicis theatris, peculiari modo assistentia interdicitur, ita ut Ordinarius possit et latae sententiae poenis in contra facientes animadvertere. Ceterum et hac in re multum relinquitur iuri particulari. Ita ex. c. Vicariatus Urbis decrevit (15 iul. 1909 et iterum

25 maii 1918) *clerum tum saecularem tum regularem absolute prohiberi, quominus spectaculis assistat, quae fiunt in publicis cinematographis Urbis, indiscriminatim, quamvis forte argumentum sacrum fuerit.* Contra transgressores vero poenas canonicas minatur, *non exclusa suspensione « a divinis ».*

Can. 141.

§ 1. *Saecularem militiam ne capessant voluntarii, nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint; neve intestinis bellis et ordinis publicis perturbationibus opem quoquo modo ferant.*

§ 2. *Clericus minor qui contra praescriptum § 1 sponte sua militiae nomen dederit, ipso iure e statu clericali decidit.*

Iam vidimus clericos, ex privilegio immunitatis, ad servitium militare non teneri (can. 21). Proinde saecularem militiam voluntarie capessere idem esset, ac eidem privilegio renuntiare. Est autem eiusmodi privilegium, nedum in iure divino fundatum (ibid. n. 1), verum etiam in universum ordinem clericalem, et quidem per modum legis, irrogatum, ac praeterea renunciatio in Ecclesiae praeiudicium cederet: exinde nec privatis personis, neque ordini universo renuntiare licet (can. 72 § 4). Haec ratio quare canon ait: *Saecularem militiam ne capessant voluntarii,* nisi ad hoc, *ut citius liberi evadant et cum sui Ordinarii licentia.* Hinc etiam, clericus minor, praescripto contra faciens, merito *ipso iure e statu clericali decidit*; clericus vero maior ipso facto quaelibet officia, si quae habeat, amittit (can. 188 n. 6): non enim simul potest et Deo et saeculo servire (cfr. Reiffenstuel, *Jus can. univers.* t. III t. I § 5). Cetera clara.

Can. 142.

Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem.

1. Canon est de omni negotiatione clericis vetita. Aliud est negotiatio aliud ars. Si quid viliori pretio comparem et carius vendam *commercialem* negotiationem seu mercaturam exerceo; si id, quod viliori pretio emi (non ideo si ex fundo meo ex. c. beneficiali comparaverim), postea, meis impensis, labore opificum mercenariorum in aliam formam trasferam, exerceo sane negotiationem *industrialem.* Utraque clericis est interdicta. Contra, si ad exemplar D. Pauli Ap. rem emam et, ope agriculturae vel alio honesto artificio, meo meorumve labore in aliam formam convertam, artem exerceo, quae, si non fuerit indecora, minime

vetatur. Sed quid de pecunia? Nam et pecuniam negotiari possum. Ad rem S. Congr. de Prop. Fide (litt. 7 iul. 1893) rogata respondit: *Attentis peculiaribus temporum circumstantiis, personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant « actiones » seu « titulos » mensae nummulariae .... dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis, et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum, et praesertim ab omni contractu, qui speciem habeat, ut vulgo dicitur « dei giuochi di borsa* (jeux de bourse)».

2. At quare negotiationes clericis interdicuntur? Quia profecto, ut habet glossa (c. 2 D. V *de poenit.*), *contrahentibus naturale est sese invicem decipere*: et ideo negotiatio, cum sine periculo fraudis non exerceatur, a clericorum moribus aliena est, et parum refert per se quis an per alium, in propriam an in aliorum utilitatem exerceat. Hinc can. 2380 non immerito cavet, ut clerici contra facientes *congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coërceantur.*

CAN. 143.

Clerici, licet beneficium aut officium residentiale non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii ne discedant.

1. Canon agit de residentia clericorum. Non idem est residentia ac domicilium et quasi-domicilium. Domicilium in iure consistit, residentia in facto; per domicilium quis territorio iuridice devincitur, per residentiam de facto in territorio et adest et agit: quare potest quis non residere et tamen domicilium aut quasi-domicilium servare. Est igitur residentia commoratio personalis continua et operosa clerici in loco beneficii vel officii residentialis. Commoratio personalis: etenim a regula iuris, qua *potest quis per alium quod potest facere per seipsum* (R. 58 R. J. in VI°), evidenter excipitur casus, quo fuerit electa industria personae; cum vero clerico saltem *idoneo* (can. 153 § 2, 177 § 2 et alibi) officium ecclesiasticum confertur, personae industria profecto eligitur. Operosa: nam, quemadmodum is, qui Missae sacrificio humano modo non assistit, neque assistere dicitur, ita clericus, qui beneficiariorum aut officialium modo non residet, non dicitur residere; nisi tamen id fiat ex legitima causa: tum enim, sive clericus resideat inoperose, sive omnino non resideat, residere censetur. Et modus iste pendet ab officii natura; imo sunt officia ecclesiastica, quibus coniuncta munera sine residentia expleri possunt (cfr. can. 1411 n. 3).

2. Proinde tota ratio legis in beneficio aut officio consistit. Hinc, cum antiquitus, beneficiis nondum introductis, clerici nonnisi in servi-

tium alicuius ecclesiae ordinarentur, communium officiorum plus minusve omnes participabant, et ideo omnes tenebantur residentiae lege. Quare Ecclesiae Patres, Concilia, imo et Justinianus Aug. (cfr. Nov. 6 cap. 2; Nov. 67 cap. 3; Nov. 123 cap. 9) toti sunt in lege residentiae omnibus clericis indiscriminatim inculcanda. Cum vero titulus *ecclesiae* ad sacram ordinationem in desuetudinem abiisset, et clerici, nedum titulo *beneficii* ecclesiastici, verum etiam *patrimonii* ac *pensionis* ordinari coepissent, contigit, eos quandoque vel officium non residentiale habuisse, vel etiam quolibet officio omnino caruisse. Inde canonis praescriptum.

3. *Clerici, licet beneficium aut officium residentiale non habeant,* etc. — Quaenam officia ecclesiastica residentialia sint, quaenam vero non residentialia, suis locis videbimus. Satis sit hic innuere, in beneficiis curatis, quoad substantiam, obligationem residentiae ex iure divino procedere: siquidem ordinatione divina tenentur *pastores* obligatione *oves suas et cognoscendi et pascendi.* Sed dari possunt clerici, qui beneficium aut officium residentiale non habeant. Clerici huiusmodi, ait Legislator, *a sua dioecesi per notabile tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii ne discedant.* Quo iure innititur praescriptum canonis? Sane, tum iure Ordinarii in omnes subditos, praesertim vero in clericos dioecesi incardinatos (can. 127); tum iure obligationis sponte susceptae, quae incardinationem sequitur. Quilibet namque clericus presbyteratus ordinem recipiens, obedientiam iure debitam promittit Ordinario suo. Sed praeterea facto, quo quis ad sacram ordinationem accedit (a prima tonsura usque ad ordinem episcopalem) omnes obligationes in se suscipere intendit, quae exinde consequuntur ad normam sacrorum canonum, inter quas profecto Ordinarii dicto parendi (ibid.). Unde apud Ordinarium ius est, clerici discessionem vetare, quoties id postulet utilitas dioecesis aut alia causa rationabilis, dummodo tamen per officium, beneficium aut alio modo clericum, qui titulum ordinationis amiserit, de necessariis provideat. Ad rem S. Congr. Episc. et Regul., in *Castri Maris,* 8 maii 1716, cum esset rogata, *an sacerdotibus et clericis dictae civitatis, non obligatis ad curam neque ad residentiam, volentibus alio se transferre absque licentia Episcopi, teneatur idem Episcopus concedere litteras commendatitias in casu* — respondit: *Non esse denegandas, nisi cum rationabili causa.* Causo vero rationabilis denegandi subesse non censetur, cum Ordinarius sciens prudens discessioni non obsistit: quare sufficit licentia praesumpta.

Can. 144.

Qui cum licentia sui Ordinarii in aliam dioecesim transierit, suae dioecesi manens incardinatus, revocari potest iusta de causa et naturali aequitate servata; et etiam Ordinarius alienae dioecesis potest ex iusta causa

eidem denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio, nisi beneficium eidem contulerit.

Qui in aliam dioecesim transit ad normam can. 112-117, idest per excardinationem-incardinationem, Ordinarium et dioecesim amittit, dioecesim novumque Ordinarium acquirit, cui tanquam proprio parere tenetur. Sed saepe contingit, clericum, absque ulla excardinatione-incardinatione in aliam dioecesim transire cum licentia sui Ordinarii, de qua in canone praecedenti. Tum vero dioecesis in qua commoratur, sua dioecesis non est: quare et a suo Ordinario revocari potest et ab alieno dimitti, nisi hic, uti patet, ei beneficium contulerit, quod, cum saltem *ad nutum* conferatur, provisione perdurante, ius in diocesi commorandi secumfert. Tamen, nec revocatio, nec commorationis denegatio fieri possunt sine iusta causa. In genere iusta causa tam revocandi quam dimittendi est utilitas dioeceseos: nimirum, si clericus aut illic necessarius, aut hic noxius vel inutilis evaserit. Quia vero causa huiusmodi, nudo iure positivo considerato, iusta esse potest, consideratis vero circumstantiis, naturaliter iniqua iuris applicatio, propterea Legislator requirit, ut non solum iuris, sed naturalis quoque aequitatis ratio habeatur: non enim, ut Paulus ait, *omne quod licet honestum est* (fr. 144 D. L. 17).

TITULUS IV.

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

Can. 145.

§ 1. *Officium ecclesiasticum lato sensu est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur; stricto autem sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis.*

§ 2. *In iure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu, nisi aliud ex contextu sermonis appareat.*

1. Quod clerici dioecesi adscribantur, quod peculiaribus iuribus ac privilegiis fruantur, quod gravioribus prae laicis obligationibus tum positivis tum negativis teneantur, id omne cautum est, ut ad officia ecclesiastica obeunda atque exercenda essent aptiores. Unde logice Legislator, patefacta quodammodo per praecedentes titulos via, agit hic de officiis ecclesiasticis eorumque acquisitione atque amissione.

2. *Officium ecclesiasticum lato sensu est quodlibet munus etc.* — Offi

cium ecclesiasticum accipi potest duplici sensu. Si lato sensu accipiatur, ex tribus elementis substantialiter consistit: quod sit munus; quod in spiritualem finem exerceatur: quod exerceatur legitime. Munus exercet, qui aliquid agit uniformiter saltem per notabile tempus; in spiritualem finem exercet, qui exercet ad finem Ecclesiae, nempe ad salutem animarum, ad divinum cultum, ad administrationem iustitiae vel bonorum ecclesiasticorum; legitime exercet, qui exercet non per vim aut clam aut suo tantum arbitrio, sed per legitimum mandatum Superioris ecclesiastici competentis.

3. *Stricto autem sensu est munus ordinatione sive divina* etc. — Differt officium ecclesiasticum sensu stricto ab officio lato sensu accepto, tanquam species a genere: siquidem illud, praeter elementa nuper recensita, alia continere debet, nempe: quod sit stabiliter constitutum aut ex iure divino aut ecclesiastico; quod sit ad normam sacrorum canonum collatum; quod secumferat participationem ecclesiasticae potestatis, sive ordinis, sive iurisdictionis. Proinde, qua stabiliter constitutum, officium ecclesiasticum huiusmodi excludit omnia munera, quae constituuntur *ad tempus* ob peculiaria adiuncta, vel quae ad beneplacitum Superioris deferuntur; qua secumfert participationem ecclesiasticae potestatis ordinis atque iurisdictionis, excludit munera, cum quibus coniuncta non est huiusmodi potestatis participatio. Hinc deficit officium ecclesiasticum stricto sensu, cum potestas non est ordinaria, sed delegata (una enim potestas ordinaria ex iure coniuncta est officio), velut in Legato *a latere* Romani Pontificis, in delegatis quibuslibet (exceptis Delegatis Apostolicis, de quibus in can. 267 § 2), in vicario coadiutore, confessario etc.; item, et *a fortiori*, cum nulla inhaeret potestas ordinis aut iurisdictionis, velut in clerico sacrista, in Consilio administrationis dioecesano, in organorum modulatore, in aedituo, in religiosarum muneribus; item cum munus constitutum est *ad tempus* vel ad Superioris beneplacitum, velut in delegatis, de quibus supra, in parochorum vicario oeconomo, substituto, adiutore (cfr. can. 472-475). Deficit officium ecclesiasticum utroque sensu: *obiective* quidem, si in constitutione substantiale vitium irrepserit; *subiective* vero, si fuerit illegitime collatum.

4. *In iure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu*, etc. — Codex de utroque officiorum genere loquitur: tamen, nisi aliud appareat ex contextu sermonis, stricto sensu loqui censendus est. Nec est haec declaratio parvi facienda, ne perperam quod huius generis proprium est, illi tribuatur.

CAN. 146.

De beneficialibus officiis in specie, praeter canones qui sequuntur, custodiantur insuper praescripta can. 1409 seqq.

1. Praeter partitionem ratione naturae, de qua supra, officia ecclesiastica invicem distinguuntur: — 1) ratione emolumentorum, in *beneficialia* et *non-beneficialia*. Beneficialia sunt, quibus essentialiter coniunctum est *ius percipiendi reditus ex dote officio adnexos* (can. 1409), ita ut ex iure huiusmodi et officio exurgat verum *ens iuridicum* (ibid.), vera persona moralis non-collegialis (can. 99). Alia omnia sunt officia non-beneficialia. *De beneficialibus officiis in specie, praeter canones qui sequuntur*, etc. — Officia nempe beneficialia, seu *beneficia*, considerari possunt aut qua officia sunt, aut qua ius ad reditus secumferunt: qua officia ecclesiastica sunt, de iis quoque hoc in titulo agitur; qua secumferunt ius ad reditus percipiendos, iterum de iis agendum est, can. 1409-1494, antequam agatur de bonis ecclesiasticis mere temporalibus seu a quovis officio seiunctis. — 2) Ratione potestatis aut dignitatis cum officio coniunctae, officia ecclesiastica alia *maiora*, alia *minora* nuncupantur. Maiora sunt, quibus adnexa est potestas principalis, idest plena iurisdictionis potestas (legifera, iudiciaria, coactiva), veluti in Episcopis residentialibus iisque aequiparatis; vel in iis qui habent potestatem quasi-episcopalem, prout sunt Superiores maiores religiosorum exemptorum, quamvis fere semper vi constitutionum legislativa potestate careant; vel quibus adnexa est dignitas ecclesiastica, veluti in officialibus maioribus Curiae romanae (cfr. c. ad can. 12 n. 3) aut etiam in *dignitatibus* Capitulorum. — 3) Ratione personarum, quibus conferuntur, officia ecclesiastica aut sunt *saecularia* aut *religiosa*: ex iure communi, illa solis clericis saecularibus, haec solis religiosis conferri debent. — 4) Denique ratione modi quo conferuntur, alia sunt *collativa* alia *electiva*, prout persona per ipsum Superiorem designanda est, vel per electionem, postulationem aut nominationem, veluti in eligendo Romano Pontifice, Vicario capitulari, Superioribus religionum. Aliae partitiones officiorum ecclesiasticorum vel sunt nunc temporis minoris momenti, vel ad officia beneficialia exclusive pertinent. Officia maiora a R. P. conferuntur; minora a Praelatis inferioribus ad normam iuris communis.

2. Ut innuit can. 145 § 1, quodlibet officium ecclesiasticum aut iure divino aut ecclesiastico erectum vel demandatum est. Erectum est iure divino officium Romani Pontificis atque officium episcopale in Ecclesia exercendum; designatio vero territorii ac personae, quae episcopale officium exerceat, sicut et ceterorum officiorum erectio aut demandatio ex

iure ecclesiastico facta est aut fit. Proinde huiusmodi officia semper immutari aut supprimi possunt aut nova constitui.

3. Officia ecclesiastica, praesertim stricto sensu accepta, eriguntur *a iure* conferuntur *ab homine*, nempe a Superiore competenti. Quae iure divino erecta sunt, si quid circa collationem fuerit eodem iure statutum, id religiosissime servandum est, nec valet humana potestas aliquid immutare. Quae vero erecta sunt iure ecclesiastico, sive communi sive fortasse particulari, ad normam et ipsa eiusdem iuris sunt conferenda: at potest legislator ecclesiasticus in iure a se statuto libere dispensare. Breviter necessaria est canonica provisio.

CAPUT. I.

DE PROVISIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

CAN. 147.

§ 1. *Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri.*

§ 2. *Nomine « canonicae provisionis » venit concessio officii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta.*

1. *Officium ecclesiasticum nequit* etc. — Lex est irritans: qua de causa, quomodocumque quis officium ecclesiasticum assecutus fuerit, si per canonicam provisionem non obtinuerit, illegitime possidet, nullam clericus ita intrusus potestatem iurisdictionis nullumque exercitium potestatis ordinis officio adnexae consequitur, ac praeterea si id fecerit sciens prudens ac propria auctoritate subiacet poenis sive latae sive ferendae sententiae, quae can. 2394 continentur.

2. *Nomine « canonicae provisionis » venit concessio* etc. — Canonica provisio, sine qua nullum officium ecclesiasticum stricto sensu acceptum valide obtineri potest, ex tribus consistit: 1) quod officium concedatur, idest quod agatur de vera concessione, nempe absoluta ac definitiva traditione tituli ad officium illud (1); — 2) quod concedatur ab auctoritate ecclesiastica et quidem competenti: ideoque non a potestate laicali neque ab ecclesiastica auctoritate ad quam provisio non pertineat; — 3) quod concedatur ad normam iuris, nempe iis omnibus servatis, quae ius nostrum praecipit pro vario officiorum genere, proque diverso

(1) Proinde, si quis pro-Secretarius Status aut romanae Congregationis, pro-Vicarius generalis dioecesis, pro-Cancellarius Curiae, etc. nominetur, proprie non dicitur officium ecclesiasticum obtineri.

modo ea conferendi. De variis officiis, passim per Codicem; de diversis modis conferendi in canone sequenti.

3. At quare haec requiruntur, quare canonica provisio necessaria est ad validitatem acquisitionis? Quia sane officium ecclesiasticum, stricto sensu acceptum, aliquam semper secumfert participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis (can. 145 § 1). Tum vero potestas iurisdictionis, tum exercitium potestatis ordinis, quod officio coniunctum est, ad ordinem supernaturalem pertinent, et ideo, ut ait can. 109, *canonicam missionem* requirunt: si namque *pro Christo legatione fungimur* (II Cor. V, 20), legatio sine legitima missione non intelligitur. Hinc immort. mem. Gregorius Pp. VII et laicales *investituras* damnavit et pro Ecclesiae libertate acerrime dimicavit; hinc *regalismi* placita Ap. Sedes semper reprobavit; hinc Concilium Tridentinum (sess. XXIII can. 7) declaravit: *Si quis dixerit ... eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, a. s.*

CAN. 148.

§ 1. *Provisio officii ecclesiastici fit vel per liberam collationem, a legitimo Superiore, vel per eius institutionem, si praecesserit praesentatio a patrono aut nominatio, vel per eius confirmationem aut admissionem, si praecesserit electio aut postulatio, vel tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.*

§ 2. *De officiorum provisione per institutionem serventur praescripta can. 1448 1471.*

1. Ut supra innuimus, hoc et sequenti canone Legislator agit de variis modis, quibus fieri potest canonica officiorum provisio. Praestat quaedam hic generaliter attingere de provisione officiorum ecclesiasticorum temporibus anteactis. Et in primis constat, Christum Ecclesiae conditorem et Apostolos elegisse et eos potestate, ad apostolicum officium explendum necessaria, instruxisse. Qua potestate innixi, et ipsi Episcopos, presbyteros, diaconos per ecclesias instituerunt, eosque, sub suprema primi Pontificis auctoritate, in partem pastoralis sollicitudinis adsciverunt, populi suffragium, pro rerum opportunitate, quandoque exquirentes, quandoque vero prorsus negligentes. Hinc populi suffragium, nobis habendum est tanquam ius a potestate ecclesiastica concessum, quodque proinde semper ab Ecclesia retractari poterat. Post aetatem apostolicam, non una fuit praxis in officiis ecclesiasticis tribuendis. Concilium Nicaenum I (a. 325) per can. 4 decrevit: *Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia constitui. Si autem sit*

hoc difficile... tres omnino eundem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus scriptisque assentientibus, tunc electionem facere, eorum autem quae fiunt, confirmationem in unaquaque provincia a metropolitano fieri. Haec in Ecclesia Orientali. In Eecclesia Latina electio Episcopi a clero dioecesis primitus fiebat; deinde, post varias vicissitudines et graves controversias, a saec. XII a Capitulis ecclesiarum cathedralium cum confirmatione Metropolitae. Saeculo vero XIV, Romani Pontifices prius electorum sibi confirmationem reservarunt, postea vero ipsam quoque designationem personae: quare officii episcopalis provisio facta est liberae collationis pontificiae. Cui tamen iuri, interdum per concordata derogatum est. Quoad provisionem inferiorum officiorum, in Ecclesiae primordiis, cum nullus extaret titulus ordinationis praeter *ecclesia*, ad cuius servitium clericus ordinabatur, officiorum quoque provisio cum ordinatione coincidebat, eratque proinde in Episcopi potestate, quamvis super honestate ordinandi, populi sententia rogaretur. Haec autem disciplina, aetate persecutionum elapsa, immutari coepit: cum enim fideles et ecclesias extruerent et bona ad clericorum sustentationem largirentur, iam a saec. V tum in Oriente tum in Occidente pii oblatores privilegio saepe donabantur, clericos ad officium designandi (cfr. can. 10 Conc. Arausicani, a. 441). Inde ius patronatus ortum, quod iuridicum institutum ab Alexandro Pp. III (a. 1159 1181) postea perfectum est (cfr. c. 1-31 X *de iure patronatus* III, 38). Sed iam a saec. VIII vita communis introducta fuerat in Capitulis cathedralibus et collegiatis, unde Episcopi consodalium suffragium exquirere coeperunt in clericis ad Capituli gremium admittendis. Inde postea, vita communi dissoluta, ortae controversiae ac deinde transactiones et multiplices consuetudines: vel enim officia ecclesiastica conferebat Ordinarius irrequisito Capitulo; vel Capitulum Ordinario irrequisito; vel Ordinarius de consensu aut consilio Capituli; vel Capitulum de Ordinarii consilio aut consensu; vel etiam aliquando collatio erat simultanea: denique saec. XIII ius optionis introductum est. Haec quoad ecclesias cathedrales; in collegiatis, electio ad Capitulum spectabat, confirmatio ad Ordinarium (cfr. De Luca, *De beneficiis*, *Summa*, n. 10, 11, 15 etc.) Tandem a saec. XIV Romani Pontifices per Regulas Cancellariae Ap. inferiorum quoque officiorum collationem quandoque sibi reservaverunt. Inde derivavit disciplina ante Codicem vigens, vi cuius Romanus Pontifex a Patrum Cardinalium Collegio eligebatur, Cardinales vero a R. P. libere creabantur, sicut et Episcopi cuiusque gradus, nisi iuri communi concordatum hac in re derogasset (1), eodemque modo prima dignitas Ca-

(1) Quare E.mus Card. Secretarius Status ad Episcopos Germaniae (litt. 20 iul. 1900): *Illud est in primis animadvertendum, constitutiones apostolicas* « *De salute animarum* » (pro regno Borussiae, 16 iul. 1821), « *Impensa Romanorum Pontificum* »

pitulorum conferebatur, aut saltem confirmabatur vel instituebatur; alia vero officia, conferebantur partim a Romano Pontifice partim ab Ordinario iuxta Regulas Cancellariae Ap., inter quas Reg. 9 de mensibus alternandis. Canonicatus ecclesiae cathedralis ex iure communi ab Ordinario et Capitulo conferebantur simultanee; in collegiatis, per electionem Capituli et confirmationem Ordinarii. Demum officia paroecialia ac inferiora, extra ius singulare aut privilegium, erant liberae collationis ab Ordinario faciendae. Ceterum, Ordinarius, in omnibus officiis dioecesis conferendis, habebat intentionem in iure fundatam. Hanc Codex disciplinam haud parum immutavit, ut infra videbimus.

2. *Provisio officii ecclesiastici fit vel per liberam collationem* etc. — In canonica provisione elementa tria continentur: 1) designatio personae, cui concedendum est officium; 2) ad idem officium *tituli* traditio; 3) in possessionem introductio. Elementum substantiale est traditio tituli, quo clerico ius *in re*, nempe ad officium *uti suum* possidendum, acquiritur. Tria haec provisionis canonicae elementa, ab una persona, ex. c. Episcopo, praestari possunt: et si duo priora elementa ab eodem praestentur, tum provisio canonica fieri dicitur per liberam collationem; plerumque tamen a diversis personis praestantur. Nimirum, personae designatio fieri potest a Superiore ecclesiastico, cuius est titulum tradere; vel ab aliis, nempe per electionem aut postulationem, nominationem aut praesentationem. Tituli vero traditio, ad validitatem provisionis, semper a Superiore ecclesiastico fieri debet ad normam sacrorum canonum, et quidem, pro casuum varietate, per confirmationem electi, per admissionem postulati, per institutionem nominati aut praesentati. Denique missio in possessionem officii, fieri potest tum a Superiore, qui titulum tradidit, tum ab eius delegato. Quod si electio confirmatione non indigeat, prout contingit in deputatione Vicarii Capitularis (can. 438), vel Superior, qui confirmet, non detur, prout accidit in electione Romani Pontificis, confirmationis locum tenet electi acceptatio.

3. *De officiorum provisione per institutionem serventur* etc. — In can. 1448-1471 agitur de exercitio iuris patronatus ante Codicem quaesiti: per Codicem enim institutum iuridicum iuris patronatus funditus sublatum est, ita ut *nullum patronatus ius ullo titulo constitui in posterum valide possit* (can. 1450 § 1).

(pro regno Hannoverensi, 21 mart. 1824), « *Ad Dominici gregis* » (pro prov. eccl. Rheni superioris, 10 apr. 1827), *litterasque in forma brevis* « *Quod de fidelium* » (ad Capitula regni Borussici, 16 iul. 1821) *et* « *Re sacra* » (ad Capitula prov. Rheni super., 28 maii 1827), *ad normam conventionum cum principibus initarum a Romanis Pontificibus s. m. Pio VII et Leone XII editas, capitulis metropolitanis et cathedralibus Germaniae facultatem et officium attribuere, libere prorsus atque ad sacrorum canonum praescriptum Archiepiscopos et Episcopos eligendi.*

Can. 149.

Electi, postulati, praesentati vel nominati a quibusvis personis ad ecclesiastica officia ne confirmentur, admittantur, instituantur a Superiore infra Romanum Pontificem, nisi antea fuerint a proprio Ordinario idonei reperti, etiam per examen, si id ius vel officii ratio postulet aut Ordinarius opportunum iudicaverit.

1. Canon est de obligatione ac iure Ordinarii iudicium ferendi circa personas, quibus concredendum est officium ecclesiasticum, quod non sit liberae collationis. *Electi, postulati, praesentati vel nominati a quibusvis personis,* etc. — Electi vel postulati dicuntur, qui ad officium ecclesiasticum per processum electivum a quibusdam personis designantur; praesentati, qui per declarationem voluntatis eius, apud quem ex. c. est ius patronatus in beneficium vel utcumque ius praesentandi, veluti in Superiore religioso, quoad paroecias religiosae domui pleno iure unitas (cfr. can. 471 § 2); nominati, qui ad officium designantur item per declarationem voluntatis eius, cui ius nominandi concessum est, veluti supremi Principis aut Gubernii, iure communi aut particulari, lege fundationis aut tenore privilegii semper servatis.

2. *Ne confirmentur, admittantur, instituantur a Superiore infra Romanum Pontificem,* etc. — Romanus Pontifex, cum sit iuris communis ecclesiastici conditor, hoc iure non tenetur. Ceteri Superiores personas, ut supra dictum est, designatas, ad officium per canonicam provisionem promovere non possunt, quin prius de eorum ad idem officium idoneitate (non exigitur, ut in libera collatione [can. 153 § 2], magis idoneus) legitimum iudicium prolatum sit. Quod iudicium tum legitime fit, cum fit a proprio personae designatae Ordinario, qui potest aut minus cum Superiore, de quo nuper dictum est, identificari: siquidem, potest ex. c. clericus a patrono praesentatus ad paroeciam, ei dioecesi, in qua paroecia sita est, non esse incardinatus, ac proinde proprium Ordinarium alibi habere. Tum ad hunc pertinet de eius idoneitate iudicare ad normam can. 153 et 459. Priusquam vero iudicium huiusmodi proferatur, aut, si per iudicium clericus fuerit inidoneus repertus, Superior, quicumque ille sit, infra Romanum Pontificem canonicam provisionem concedere non potest; et si concedit, aut invalide aut saltem illicite concedit: invalide quidem, si designatus careat qualitatibus a iure (cfr. can. 153 § 3) ad validitatem provisionis requisitis; illicite vero, si agatur de qualitatibus, quibus haec clausula adiecta non est.

3. *Etiam per examen, si id ius vel officii ratio* etc. — Haec postrema pars canonis respicit examen, cui designatus ad officium subiici debet aut potest a proprio Ordinario, quo perfectius is possit de eius idoneitate

iudicare. Sunt officia, quae ex iure communi sine examine conferri non possunt, veluti beneficium paroeciale, praesertim si provisio fiat per concursum (cfr. can. 459 § 3 n. 3 et § 4). Item, quamvis nullum ius id requirat, examen postulare potest ipsa officii ratio, veluti ex. c. in canonico poenitentiario. (cfr. can. 399 § 2). His in casibus, nisi facultas dispensandi a iure concedatur (cfr. can. 459 § 3 n. 3), Ordinarius clericum ad officium electum, postulatum, praesentatum, nominatum, examini subiicere debet. Alias, est in eius potestate, si opportunum iudicaverit.

CAN. 150.

§ 1. *Provisio officii de iure non vacantis ad normam can. 183 § 1, est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit.*

§ 2. *Nec promissio eiusdem officii, quicumque illud promiserit, ullum parit iuridicum effectum.*

1. Hic canon agit de officio ecclesiastico de iure non vacanti; sequen de officio non vacanti de facto. Ad normam can. 183 § 1, *amittitur officium ecclesiasticum renuntiatione, translatione, privatione, amotione, lapsu temporis praefiniti.* His modis amitti potest officium a clerico dum in humanis est: per mortem vero omne ius eius resolvitur. His igitur modis de iure vacare potest officium ecclesiasticum. Iam vero: *Provisio officii de iure non vacantis ... est ipso facto irrita*, etc. — Ipso facto; cum enim clericus titulum ad Officium consequitur, simul consequitur ius *in re* quoad officium illud, perinde ac si esset in eius bonis atque propriestate; quod autem tuum est, simul meum esse non potest. Quod tamen non significat, non posse clerico in officio coadiutorem dari, etiam cum iure successionis: coadiutor namque nullum titulum acquirit in officium iure non vacans, sed tantum in officium cum vacaverit. Quia amen id fieri non potest, nisi contra positivum praescriptum iuris communis, proinde unius Romani Pontificis est, coadiutores cum iure successionis dare, sive in maioribus (cfr. can. 350 § 1) sive in minoribus officiis (cfr. can. 1433). Quod autem provisiones eiusmodi, ne subsequente quidem vacatione convalescant, id quoque facile intelligitur: non convalescunt, quia ipso facto, et ideo ab initio, sunt iure nullae, idest nunquam extiterunt; quod autem nunquam extitit, convalescere non potest, iuxta regulam: *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit* (Reg. 18 R. J. in VI°).

2. *Nec promissio eiusdem officii, quicumque* etc. — Officium ecclesiasticum de iure non vacans, sicut non potest valide conferri, ita neque valide promitti potest: nempe promissione quae iuridicum effectum pariat. Huic utique promissioni semper subintelligenda esset clausula:

cum vacabit, et ideo prima fronte non apparet, cur non possit legitime promitti. Et revera, natura rerum inspecta, pactum hinc inde libere initum, prout est promissio sponte facta et acceptata, ratum est. At ius huiusmodi pacta prohibet ob eorum naturam turpem. Ait enim Concilium Lateranense III (a. 1179): *Nulla ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia vel ecclesiae tribuantur alicui seu promittantur antequam vacent, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum et beneficium se crediderit successurum. Quum enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur inhibitum, turpe est et divini plenum animadversione iudicii, si locum in Ecclesia Dei futurae successionis expectatio habeat* (c. 2 X *de concess. praeb. et eccl. non vac.* III, 8). Tantummodo igitur ex iure positivo communi promissiones, de quibus in canone, omni effectu iuridico destituuntur. Hinc si Romanus Pontifex sciens prudens promiserit, promissio valet.

Can. 151.

Officium de iure vacans quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in letteris collationis.

1. Modo de collatione officii, quod de iure quidem vacat, de facto non vacat. *Officium de iure vacans quod forte ab aliquo illegitime* etc. — Possessio officii de iure non vacantis semper est illegitima; et cum tractu temporis, nempe per triennalem pacificam possessionem ad normam can. 1446, legitima fit (hic non tenet Reg. 18 R. J. in VI°), id contingit, quia tum officium cessat de iure vacare. Nimirum, is rem possidere (aut ius quasi-possidere) dicitur, qui rem habet aut iuris exercitium in sua physica potestate, eamque tenet ut suam: aliis verbis possessio est *factum*, quod naturaliter profluit ex *iure* dominii seu proprietatis. Saepe vero contingit eum, qui rem ita tenet, ius tenendi non habere et ideo *factum*, in quo possessio consistit, a *iure* proprietatis esse seiunctum: nempe alium esse proprietarium, alium rei possessorem, qui loco proprietarii iura dominii exercet. Et tum possessio est illegitima. Rursus haec esse potest aut iusta aut iniusta possessio: iusta est, cum nec vi, nec clam, nec precario incepit, ex c. si quis rem emat; aliter est iniusta. Vi autem incipere dicitur in raptore rei alienae; clam in fure; precario in eo, qui precario rem habuit a praecedente possessore. Demum possessio vel bonae est, vel malae fidei: bonae fidei est in eo, qui rem tenet *opinione domini*, putans nempe nemini se facere iniuriam; alias possessio est malae fidei. Nec oportet iustam, bonae fidei possessioni aequiparare; potest enim quis simul esse iustus ac malae fidei posses-

sor, veluti si scienter rem emat ab eo, qui rei proprietatem non habet; et vicissim, simul iniustus possessor esse ac bonae fidei, veluti si vi rem alienam auferat, quam opinatur esse suam. Hactenus de possessione. Sed est et simplex detentio de qua can. 1694. Haec consistit quidem, sicut possessio, in physica detentione rei (aut exercitii iuris), sed alieno nomine, non suo, veluti ex. c. in rei conductore aut commodatario: aliis verbis, res (aut ius) possidetur ut sua, detinetur ut aliena. Tum vero possessio, tum etiam simplex detentio, ad normam can. 1695-1700, actionem vel exceptionem possessoriam praestant. Et haec omnia ius positivum introduxit publicae utilitatis causa. His praemissis, ad canonem redeamus.

2. *Conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones* etc. — Officium igitur ecclesiasticum de iure vacans, sed quod illegitime ab alio possidetur, conferri potest. Conferri potest, valide inquam, quia de iure vacat; hoc est titulus vacat: collatio vero fit per tituli traditionem. Tamen collatio huiusmodi non prius facienda est quam declaratum fuerit, eam possessionem non esse legitimam. Haec praemittenda est declaratio quia, ut supra diximus, et possessio, quae ille gitime incepit, legitima fieri potest post trieunium (can. 446). Sed praeterea huius declarationis mentio fieri debet in litteris collationis, ne quid a quoquam contra excipi possit.

ART. I.

DE LIBERA COLLATIONE.

CAN. 152.

Loci Ordinarius ius habet providendi officiis ecclesiasticis in proprio territorio, nisi aliud probetur; hac tamen potestate caret Vicarius Generalis sine mandato speciali.

1. Tum libere officium conferri dicitur, cum personae designatio fit a Superiore ecclesiastico competente, absque aliorum electione, postulatione praesentatione, nominatione. Et hic modus provisionis canonicae gaudet expresso favore iuris, praesertim post promulgationem Codicis, quo et iuris patronatus constitutio in posterum interdicitur (can. 1450 § 1), et optio semper prohibetur, salva tantum fundationis lege (can. 396 § 2), et eodem modo, exceptis dignitatibus Capitulorum, omnium beneficiorum collatio Episcopo reservatur, praecisa Capitulis quacumque potestate interveniendi, nisi quandoque cum voto consultivo (can. 402 et alibi passim.): breviter, redacta, quantum fieri poterat, in pristinum statum canonica provisione. Ait enim Berardi (*Instit. iur. can.* libr. IV,

tit. 10, n. 5): *Collatio beneficiorum* (quod etiam de officiis non-beneficialibus dicendum est) *olim propria videbatur functio ordinis episcopalis, adeo ut nec Capitulis sede vacante, nec praelatis inferioribus quacumque praeditis iurisdictione competeret.*

2. Ideo: *Loci Ordinarius ius habet providendi* etc. — Intra fines proprii territorii, provisio omnium officiorum ecclesiasticorum ad loci Ordinarium pertinet, et quidem per liberam collationem, nisi aliud probetur. Est praesumptio iuris in favorem Ordinariorum atque liberae collationis, quae praesumptio elidi non potest, nisi per evincentem probationem contrariam. Quare, et ipse Vicarius generalis hac potestate caret, nisi probare possit per speciale mandatum sibi fuisse concessam: eius potestas ordinaria, quae videlicet ex iure adnexa est officio, ad hanc facultatem non se extendit, sane propter rationem ex Berardi nuper allatam.

Can. 153.

§ 1. *Ad vacans officium promovendus debet esse clericus, iis qualitatibus praeditus, quae a iure communi vel particulari aut a lege fundationis ad idem officium requiruntur.*

§ 2. *Assumatur, omnibus perpensis, magis idoneus sine ulla personarum acceptione.*

§ 3. *Cum provisus caret qualitatibus requisitis, provisio est nulla, si ita cautum sit iure communi vel particulari aut lege fundationis ; secus est valida, sed per sententiam a legitimo Superiore irritari potest.*

1. Canon, cum sequenti, tractat de qualitatibus promovendorum ad ecclesiastica officia, sive id fiat per liberam collationem, sive (dummodo suis locis aliud non caveatur) quocumque alio modo. Itaque: *Ad vacans officium promovendus debet esse clericus*, etc. Ex iure communi soli clerici possunt officia ecclesiastica (scilicet stricto sensu accepta, de quibus hoc in titulo agitur) obtinere (cfr. c. ad can. 118). Clericus autem quis fit per primam tonsuram. Ideoque si, ob peculiaria adiuncta, clericus, sacerdotio nondum initiatus, cogeretur extra Seminarium vitam degere (cfr. can. 972), nihil prohibet, quominus, necessitate extante, officium eidem ecclesiasticum eius statui respondens conferri posset. Qualitates vero, quibus clericus ad officium promovendus praeditus esse debet, aut lege fundationis aut iure communi vel particulari statuuntur. Et primum, quid lex fundationis decernat videndum est, cum haec et iuri communi derogare possit (can. 1417), et proximius officium respiciat. Deinde iuris communis ratio habenda est; quidnam autem pro quoque officio ius commune statuat de aetate, ordine, scientia, maturitate consilii promovendorum, suis locis in Codice reperies. Denique

considerandum est ius particulare, sive ab Ap. Sede specialiter constitutum, sive a Conciliis plenariis, provincialibus, vel ab Ordinariis locorum introductum iuxta aut praeter ius commune.

2. *Assumatur, omnibus perpensis, magis idoneus* etc. Liberos collatores, qui aliorum designationibus non devinciuntur, eligere oportet clericum, nedum idoneum, sed inter omnes magis idoneum ad officium illud quo, de agitur, atque omnibus rerum ac personarum adiunctis sedulo perpensis.

3. *Cum provisus caret qualitatibus requisitis,* etc. — Duplicis generis esse possunt qualitates requisitae, quibus caret provisus: vel enim eae qualitates a iure simpliciter requiruntur, vel requiruntur tanquam conditio *sine qua non* validitatis provisionis. Si ad validitatem requirantur, patet, et una qualitate deficiente, irritam esse provisionem; si requirantur quidem, sed non ad validitatem, provisio valet, verum a legitimo Superiore irritari potest, eo quod contra expressum praescriptum iuris actum sit. Irritari autem potest, non debet: nam aut certa qualitas tanti momenti adesse potest, quae deficientes suppleat, aut clericus omnibus qualitatibus praeditus desiderari.

Can. 154.

Officia quae curam animarum sive in foro externo sive in interno secumferunt, clericis nondum sacerdotio initiatis conferri valide nequeunt.

1. Ea officia curam animarum secumferunt, quibus coniuncta est obligatio subditis ministrandi, quae necessaria sunt ad aeternam salutem, praesertim vero mentes illustrandi per praedicationem divini verbi, voluntatesque divinae gratiae ope, relevandi ac in proposito confirmandi per collationem sacramentorum. Cura animarum aut *actualiter* aut *habitualiter* officio coniuncta esse potest: si primum, et de iure et de facto exerceri debet; si alterum, neque de facto neque de iure, sed per vicarium exercenda est. In canone agitur de actuali animarum cura.

2. *Officia quae curam animarum sive in foro externo* etc. — Administratio curae animarum commissa est Episcopis et parochis, iis qui iisdem aequiparantur ac eorum coadiutoribus, ex. c. Vicariis episcopalibus, canonico theologo ac poenitentiario, vicariis paroecialibus ac confessariis. Episcopi, ac illi qui Episcopis ratione muneris aequiparantur eorumque Vicarii, curam animarum gerunt in utroque foro; alii in foro interno tantum, nisi plus concessum eis sit ex delegatione Ordinarii.

3. *Clericis nondum sacerdotio initiatis* etc. — Officia huiusmodi, iis qui nondum sacerdotio initiati sunt, valide conferri non possunt. Est igitur haec lex irritans, quae suum effectum sortitur, quoties agitur

de officio, cui sive ex toto sive ex parte coniuncta est cura animarum. Quod probe advertendum est, nam saepe in Codice ad officia ecclesiastica ordo presbyteralis requiritur. Revera, requiritur in Patribus Cardinalibus (can. 232 § 1); in Episcopis (can. 331 § 1 n. 3) iisque aequiparatis: Vicariis, Praefectis, Administratoribus apostolicis (can. 293-318), Abbatibus ac Praelatis *nullius* (can. 320 § 2); in Praelatis Auditoribus S. Rom. Rotae (can. 1598 § 2); in Vicariis capitularibus (can. 434 § 1) ac generalibus (can. 367 § 1); in Tribunalium dioecesanorum Officialibus (can. 1573 § 4); in iudicibus synodalibus (can. 1574 § 1); in Curiarum cancellariis (can. 372 § 1); in dignitatibus et canonicis Capitulorum (can. 404 § 1) etiam honorariis (can. 406 § 2); in consultoribus dioecesanis (can. 423); in vicariis foraneis (can. 445 § 1), parochis (can. 453 § 1) et, ut ceteros omittamus, in ecclesiarum rectoribus (can. 479 § 1). Ea igitur, ex officiis enumeratis, quibus coniuncta est cura animarum, valide conferri non possunt, nisi clericis sacerdotio iam initiatis; alia, illicite quidem (extra dispensationem apostolicam), sed tamen valide conferuntur. Et canon ius antiquum subvertit: hoc enim iure ad nullum officium requirebatur clericus sacerdotio iam antea initiatus.

Can. 155.

Officiorum provisio cui nullus terminus fuit speciali lege praescriptus, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita notitia vacationis, firmo praescripto can. 458.

1. Canon tempus definit, intra quod vacans officium conferendum est. Itaque: *Officiorum provisio cui nullus terminus* etc. — Terminus provisionis potest iure particulari aut lege fundationis praescribi: extra hunc casum, in liberis collationibus tenet huius canonis praescriptum.

2. *Nunquam differatur ultra sex menses utiles* etc. — Huius temporis supputatio incipere debet a die, quo habita est notitia vacationis; et cum terminus *a quo*, idest momentum quo notitia recipitur, communiter non coincidat cum initio diei, hic dies non computatur, et semestre tempus finitur expleto ultimo die, qui eodem numero in calendario designatur, ac designabatur dies, quo notitia habita est (cfr. can. 34 § 3 n. 3). Ita, si ex. c. Ordinarius de parochi obitu nuncium recipiat hora tertia post meridiem diei 24 octobris, et nullum impedimentum obstet aut iusta causa dilationis, semestre tempus, iure concessum ad officium libere conferendum, finitur cum die 24 aprilis subsequentis anni, videlicet momento mediae noctis, quo diei 24 dies 25 succedit. Sed agitur de utili tempore, quod proinde *ignoranti aut agere non valenti non currit* (can. 35) per totum temporis spatium, quo agere

non valet. Imo ratio habenda est can. 458, quo cavetur: *Vacanti paroeciae curet loci Ordinarius providere ad normam can. 155, nisi peculiaria locorum ac personarum adiuncta, prudenti Ordinarii iudicio, collationem, tituli paroecialis differendam suadeant.* Itaque, cum agitur de collatione officii paroecialis, quamvis Ordinarius agere valeat, certis in casibus, eius solummodo iudicio aestimandis, potest collationem tituli differre. Collationem tituli: nempe, quantumvis non sit liberae collationis, et promovendi electio, postulatio, praesentatio, nominatio praecesserit, semper collatio officii paroecialis praescripto can. 458 regitur. Et quid si, nullo obstante impedimento, Ordinarius intra semestre tempus officium non contulerit? Si agatur de officio beneficiali, collatio devolvitur ad Ap. Sedem (can. 1432 § 3); si vero de non-beneficiali, is cuius interest officium conferri, ad Ap. Sedem recurrere potest.

CAN. 156.

§ 1. *Nemini conferantur duo officia incompatibilia.*

§ 2. *Sunt incompatibilia officia quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt.*

§ 3. *Firmo praescripto can. 188 n. 3, concessio alterius officii a Sede Apostolica non valet, nisi in supplici libello mentio prioris incompatibilis habeatur, aut clausula derogatoria adiiciatur.*

1. Duo, et *a fortiori* plura, officia incompatibilia conferre, perinde esset ac efficere, ut clericus aut unum negligeret aut ambo male administraret: ideo id agere vetitum est. Lex est irritans, hoc nempe sensu, quod statim ac clericus alterius officii pacificam possessionem obtinuerit, prius vacat ob tacitam renunciationem a iure praesumptam (can. 188 n. 3); quod si clericus prius quoque retinere praesumpserit, ipso facto vacant ambo (can. 2396). Videndum igitur est, quaenam officia tanquam incompatibilia habenda sint.

2. *Sunt incompatibilia officia quae una simul* etc. — In primis hac de re quaedam ius commune peculiariter statuit: habet enim expresse ut incompatibilia ex. c. duo officia canonicalia (can 394 § 1) aut paroecialia (can. 460 § 1); officium Vicarii generalis et canonici poenitentiarii (can. 367 § 3) sicut, in genere, canonici poenitentiarii et quaelibet alia officia, quibus adnexa sit iurisdictio in foro externo (can. 399 § 3;) duo officia beneficialia, quorum alterutrum ad honestam clerici sustentationem sufficiat (can. 1439 § 2); etc. Sed generatim incompatibilia sunt officia, quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt, sive id fiat propter residentiam quam unumquodque expostulat, sive ob summam laboris, sive ex eo, quod in eadem simul ecclesia adimplenda

sunt, sive ob incommoda gravia, quae exinde orirentur: officia huiusmodi eidem clerico simul in titulum conferri nequeunt. In titulum: nam recte conferri possunt in administrationem temporariam, veluti vacans paroecia parocho viciniori (can. 472 n. 2). Ita etiam Ap. Sedes dioecesim, pastore suo viduatam, aliquando Episcopo viciniori in administrationem committit (cfr. can. 312 et 313 § 2).

3. *Firmo praescripto can. 188 n. 3, concessio alterius officii* etc. — De praescripto can. 188 n. 3 supra diximus (n. 1). Firmo igitur hoc praescripto quoad collationes inferiorum Ordinariorum, Ap. Sedes quandoque alterum officium cum primo incompatibile eidem clerico confert. Sed hoc in casu, styli Curiae oportet habere rationem. Si nempe in litteris collationis (quarum pars narrativa supplex libellum substantialiter refert), mentio non fiat prioris officii incompatibilis, neque clausula iuris communis derogatoria saltem generaliter expressa (« *non obstantibus quibuscumque* ») adiiciatur, litterae tanquam subreptitiae habendae sunt et collatio irrita: tum enim merito censetur Ap. Sedes alterum officium contulisse ex ignorantia prioris incompatibilis, et ideo nihil contulisse.

Can. 157.

Officium vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut sententiam tulit, valide conferri suis aut resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

1. Lex est ad praecavendum periculum fraudum, vel, ut apertius ait Pius Pp. IV (motu propr. *Cupientes*, 11 oct. 1560 § 1), *ad omnem delinquendi occasionem ab ipsius iustitiae ministris, praesertim iudicibus in beneficialibus... penitus removendam.* Nimirum officia ecclesiastica, uti supra innuimus, amitti possunt renunciatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis praefiniti (can. 183 § 1); item morte, qua omne ius resolvitur. Iamvero in renunciationibus ac per sententiam iudicis privationibus facilius fraudes subrepere possunt: in renunciationibus quidem praesertim ex parte familiarium, consanguineorum aut affinium renunciantis; in privationibus praesertim ex parte iudicis eiusve familiarium aut cognatorum. Canon huic periculo obviare nititur, irritam declarando collationem officii, quae tum familiaribus, affinibus, consanguineis fiat.

2. *Officium vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis* etc. — Renunciatio aut *tacita* est aut *expressa*. Utraque videtur in sententia canonis comprehensa, quia utraque fraudibus locum dare potest (cfr. can. 188 n. 1 et 2). Privatio autem officii ecclesiastici est

poena vindicativa clericorum propria (can. 2298 n. 6). Et potest esse latae vel ferendae sententiae. Hic, uti patet ex contextu, agitur de privatione per sententiam ferendam, sive haec mediante processu, veluti in privatione officiorum inamovibilium (cfr. can. 192), sive *de plano* feratur.

3. *Ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut sententiam tulit,* etc. — Generatim nulla renunciatio officii ecclesiastici rata est, antequam a Superiore competente acceptetur: sicut enim in Ecclesia officia sine *provisione canonica*, idest sine legitima missione, non acquiruntur, ita sine voluntate Ecclesiae derelinqui non possunt; et ceterum nimis esset perniciosum, si pro suo libito quis officium sponte susceptum, et plerumque vel ad beneplacitum Superioris vel sine limitatione temporis, relinquere posset. Debet igitur renunciatio acceptari: ab eo, inquam, Ordinario, in cuius potestate est officium conferre, aut clericum, antea designatum, confirmare, admittere, instituere. Et sicut renunciationem acceptare, ita ad Ordinarium huiusmodi pertinet privationis sententiam ferre. De hoc Ordinario, quamvis non sit clerico proprius, canon loquitur.

4. *Suis aut resignantis familiaribus, consanguineis* etc. — Familiares sunt, qui sub eodem tecto degunt. Quoad vero consanguineos et affines, in praxi non agitur, nisi de patruo aut avunculo, fratre, nepote ac fortasse interdum leviro (cfr. can. 987 n. 2 et 221) Ordinarii aut clerici, qui officio renuntiat eove privatur.

Can. 158.

Qui alius negligentiam vel impotentiam supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum ; sed huius iuridicus status perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

1. Multimode fieri potest, ut quis in officiis ecclesiasticis conferendis alius negligentiam vel impotentiam suppleat. Et in primis agitur de supplenda negligentia aut impotentia. Negligentiam supplet, qui tum officium confert, cum alius, qui conferre debebat et poterat, conferre negligit, veluti cum, negligente Ordinario, Metropolita instituit clericum a patrono ad beneficium praesentatum (can. 274 n. 1); vel cum idem Metropolita, aut antiquior ex Episcopis suffraganeis, deputat Vicarium capitularem aut oeconomum, Capitulo cathedrali id facere negligente (can. 432 § 2); vel cum, ex negligentia Ordinarii, quaelibet officia beneficialia confert Romanus Pontifex iure devolutionis (can. 1432 § 3). Sed quid impotentiam supplere? Sane videtur hic Legislator loqui de impotentia iuridica, quae in carentia potestatis posita est. Unde omnes,

cuiuscunque generis, Ap. Sedis reservationes (cfr. can. 396 § 1 et 1435) quoad officia, quae iure communi inferioribus Ordinariis subsunt, secumferunt impotentiam huiusmodi in ceteris Ordinariis, quam eadem Ap. Sedes supplet in conferendo. Idemque dicendum est de admissionibus postulatorum, cum Ordinarius loci super impedimento dispensare nequit (cfr. can. 181 § 1). Ita videtur contingere posse, ut quis, *alius negligentiam vel impotentiam supplens, officium conferat.*

2. Sequitur: *Nullam inde potestatem acquirit in nominatum* — Nullam potestatem, uti patet, acquirit Ap. Sedes: eius namque potestas, est universalis et immediata, et ideo nihil est quod acquirere possit; sed neque inferiores collatores extra ordinem: nam, quod aliorum vice officium conferant, id locum habet ex delegatione iuris, et nullus delegatus ex implemento sui muneris in eos, qui sibi ad tempus subiecti sunt, potestatem acquirit: aliis verbis, tota delegati potestas delegatione et continetur et expletur.

3. *Sed huius iuridicus status perinde constituitur* etc. — Statum iuridicum personalem clerici ita officio aucti perinde constitui, ac si provisio extra ordinem peracta non fuisset, ex iis quae supra diximus consequitur. Haec vero verba canonis etiam Ap. Sedem respicere videntur. Quamvis enim communiter iis, quibus Romanus Pontifex *manus apposuerit,* ex. c. sacram ordinationem ipse peragendo (can. 952), nemini postea sine eius permissu demere aut addere quicquam liceat, hic tamen regula huiusmodi non obtinet: exemptio enim, etsi partialis, tot clericorum ab Ordinarii potestate, esset quid absurdum et exitiale dioeceseon disciplinae.

Can. 159.

Cuiuslibet officii provisio scripto consignetur.

Canon explicatione non indiget. Sed lex estne irritans? Certe provisio canonica est actus fori externi: hoc autem in foro, quod non apparet non est; et ideo canonica provisio oportet possit probari. Non est autem necesse, ut probari possit scripto, sed quomodocumque, quamvis probatio per authenticum documentum, idest per testimonium ex se immutabile, semper sit praeferenda ac saepe etiam a iure civili exigatur.

ART. II.

DE ELECTIONE.

CAN. 160.

Romani Pontificis electio unice regitur const. Pii X « Vacante Sede Apostolica », 25 Dec. 1904; in aliis electionibus ecclesiasticis serventur praescripta canonum qui sequuntur, et peculiaria, si qua sint, pro singulis officiis legitime statuta.

1. Hucusque de libera collatione, modo de provisione canonica per electionem perficienda. Perlongum esset summis etiam digitis attingere ea, quae ab Ecclesiae primordiis ecclesiasticarum electionum disciplinam respiciunt: quare, si cui placuerit de hac re investigare, multum reperiet in ecclesiasticis historiis. Sed neque nobis in exponenda const. *Vacante Sede Apostolica* immorandum est: totum enim negotium ad Patres Cardinales pertinet.

2. Sequitur igitur: *In aliis electionibus ecclesiasticis serventur praescripta canonum qui sequuntur,* etc. — Canones, qui sequuntur, continent ius commune de cunctis electionibus ecclesiasticis tum clericorum, tum religiosorum, tum etiam (cfr. can. 697 § 2) laicorum, quod semper servandum est, nisi ei ex parte derogatum fuerit sive ab aliqua dispositione Codicis, sive a peculiaribus, si qua sint, legitimis statutis. Haec vero statuta vel constitutionibus religionum continentur, vel legibus ab Ap. Sede speciatim latis, vel ab eadem contra ius commune concessis privilegiis, vel denique consuetudinibus ad normam can. 5 et 25-30.

CAN. 161.

Si cui collegio sit ius eligendi ad vacans officium, electio, nisi aliud iure cautum fuerit, nunquam differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapso, Superior ecclesiasticus, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

1. Canon loquitur de primo electionum elemento, nempe de tempore, quo ad electionem deveniendum est. Itaque: *Si cui collegio sit ius eligendi ad vacans officium,* etc. — Hac nostra aetate, saltem ex iure communi, ius eligendi pertinere non potest nisi ad collegia, veluti ad Capitulum cathedrale electio Episcopi (cfr. can 329 § 3) aut deputatio Vicarii capitularis; ad confraternitatem electio officialium: nam electiones

populares (cfr. can. 1452) tunc tantum a iure tolerantur, sicubi iam vigent, cum electio fit inter tres personas ab Ordinario loci antea designatas, et ideo, si electionum nomine has appellare velimus, sunt electiones contractae, deminutae, imperfectae, quibus ex parte tantum applicari possunt sequentium canonum praescripta.

2. *Nisi aliud iure cautum fuerit, nunquam differatur,* etc. — Nisi igitur ius, idest aut ius commune aut legitimum ius particulare, aliud caveat, electio quaelibet facienda est intra trimestre ab habita notitia vacationis officii. Et revera, ius commune aliud cavet ex. c. in deputatione Vicarii capitularis, quae intra octo dies ab accepta notitia vacationis facienda est. Extra hos casus, tempus a iure concessum, est trimestre utile. Quod quemadmodum sit supputandum, supra diximus (cfr. c. ad can. 155 n. 2); sicut etiam hic faciunt, quae ibi disseruimus de utili tempore: quocirca, tum collegium agere non valet, cum, quavis de causa extra voluntatem eligentium posita, aut convocatio, aut scrutinia, aut electi proclamatio fieri non potest.

3. *Quo termino inutiliter elapso, Superior ecclesiasticus,* etc. — Si collegium intra trimestre utile electionem non peregerit, pro ea vice officium fit liberae collationis, intra semestre utile ab habita notitia infectae electionis ad normam can. 155, et ad eum Superiorem ecclesiasticum devolvitur, apud quem ius fuisset electionis confirmandae aut successive providendi. Successive providendi: nempe, cum electio, veluti in Vicario capitulari, confirmatione non indiget (cfr. c. ad can. 158 n. 1).

Can. 162.

§ 1. *Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus, collegii praeses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes de collegio; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis.*

§ 2 *Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad eius instantiam debet, probata praeteritione et absentia, a competente Superiore irritari, etiam secuta confirmatione, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.*

§ 3. *Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla.*

§ 4. *Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint.*

§ 5. *Si agatur de electione ad officium quod electus ad vitam retinet, convocatio electorum ante officii vacationem nullum habet iuridicum effectum.*

1. Uti vidimus, primum electionis elementum est, quod intra tempus a iure statutum fiat; elementum alterum, de quo agit canon hic prolixior, quod electores legitime convocentur. Ait Legislator: *Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus* etc. — Tum constitutiones seu statuta peculiaria, tum etiam consuetudines, huic priori canonis paragrapho contrariae expresse reservantur, ideoque sub praescripto can. 6 n. 1, ac can. 5 non cadunt. Nisi igitur peculiaria statuta aut consuetudines aliud caverint, convocatio pertinet ad praesidentem collegii. Ad hunc, inquam, pertinet: 1) statuere modum electionis ad normam iuris, itemque locum et tempus conveniendi ita definire, ut electorum concursus facilior evadat; 2) convocare omnes, nullo excepto: eorum nempe, qui possunt suffragium ferre (cfr. can. 167). Potest autem convocatio dupliciter fieri: idest aut communiter, aut personaliter. Communiter fit, cum omnes simul convocantur, veluti ex. c. per verba, adstantibus omnibus, vel per edictum; personaliter fit, cum tot fiunt distinctae convocationes, sive verbis sive scripto, quot sunt electores. Itaque quando convocatio ex iure particulari personalis esse debet, necesse non est coram electore fiat, sed valet etiamsi per personas interpositas facta fuerit, dummodo id contingat aut in loco domicilii vel quasi-domicilii, aut in loco ubi elector commoratur. Verum, in praxi, ad omnes fraudes vitandas, abs re non erit, et convocationem coram electore fieri et ab eo exigere, ut, per subsignationem, factam sibi fuisse testetur.

2. *Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit*, etc. — Ad electionem omnes electores sunt convocandi, nam omnes ius habent ferendi suffragium, et unius quoque suffragii magnum esse potest in electionibus momentum; ideoque, si quis ex vocandis fuerit neglectus et ea de causa abfuerit, et iniuria fit electori, et ipsi electioni praeiudicium affertur. Proinde, tum electio valet quidem, si ad normam iuris fuerit peracta, sed ad instantiam absentis, cuius ius praetermissum est, irritari debet, dummodo haec duo probata fuerint: 1°) eum electorem convocatum non fuisse; 2°) electioni non interfuisse. Praesumitur namque ab electione abfuisse, quia non convocatus. Debet igitur electio, ad instantiam neglecti electoris, irritari a Superiore competente, etiam secuta confirmatione. Nimirum, Superior competens, ad quem nempe confirmatio spectat, recusare non potest declarationem nullitatis, quamvis sive ignorans sive sciens peractam electionem confirmaverit; et si is declarationem huiusmodi recuset, potest neglectus ad Superiorem maiorem recurrere et, si maior non detur, ad Ap. Sedem. Quod si, contra, neglectus elector non instet, iuri suo renuntiasse censetur. Tamen, ut neglecti instantia hos effectus producat, constet necesse est, et quidem iuridice, ita nempe, ut possit in foro externo probari, recursum transmissum esse saltem intra triduum ab habita notitia electionis. Quaenam noti-

tia? Nam alicuius rei notitia multimode haberi potest: authentice, scilicet per authenticam declarationem aut documentum, quae omnem prorsus dubitationem excludunt; et non authentice, scilicet per testimonium, quod rursus aut per se certitudinem moralem parit aut minus. Sufficitne triduum a iure concessum supputetur a recepta authentica notitia? Puto id non sufficere, nisi tum primo praetermissus certe sciverit; notitiam vero, quae moralem certitudinem non pariat, minime requiri, cum non tenear omnibus rumoribus facere fidem; contra et requiri et sufficere notitiam, quae per se apta sit ad moralem certitudinem inducendam.

3. *Quod si plures quam tertia pars electorum* etc. — *Defectus convocationis non obstat* etc. — Si tertia pars, uno saltem adiecto, electorum neglecti fuerint in convocatione, neque postea de facto tot saltem praetermissorum, quot ad duas partes simul efficiendas satis essent, interfuerint, electio est iure ipso irrita et nulla, nec est necesse a Superiore irritetur. Quod si elector praetermissus, de facto tamen interfuerit, praetermissio nullos effectus iuridicos quoad electionem (cfr. § 2) parit, quamvis possit Superior, praeteritione probata, in praesidem collegii animadvertere.

4. *Si agatur de electione ad officium quod electus* etc. — Supra vidimus (cfr. can. 150), provisionem officii ecclesiastici de iure non vacantis esse ipso facto irritam, nullamque promissionem de eo factam iuridice tenere. Poterat exinde quis arguere, valere saltem electionem, si officium per viam electionis esset conferendum: nam aliud est electio, aliud canonica officii provisio, quae per confirmationem fit. Sed, contra, Legislator decernit, nedum electionem, sed ne convocationem quidem electorum ante officii vacationem fieri posse, si officium sit ad vitam conferendum: et si facta fuerit, nullum habere iuridicum effectum, perinde ac si facta non fuisset. Idque, si agatur de officio, quod ad vitam sit retinendum: esset namque odiosum et maxime a christiana charitate alienum, officii titulari aegrotante vel moriente, agere de successione. Id vero quoad officia, quae non conferuntur ad vitam, et iure et merito fit.

Can. 163.

Convocatione legitime secuta, ius eligendi pertinet ad eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia non solum per epistolam, sed etiam per procuratorem, nisi lege peculiari aliud caveatur.

1. *Convocatione legitime secuta,* etc. — Si convocatio legitime secuta non fuerit; idest si, cum personaliter fieri oporteret, non fuerit facta in loco domicilii aut quasi-domicilii vel commorationis quorundam elec-

torum; vel si plures quam tertia pars fuerint praetermissi et alterutra de causa absentes; vel si rite quidem convocati fuerint, sed ante officii, ad quod quis eligendus erat ad vitam, vacationem — tum ius eligendi ad neminem pertinet, quia aut electio legitima sequi non potest, aut convocatio est ipso iure nulla. Contra, si convocatio fuerit legitime secuta, ius eligendi pertinet ad eos, qui praesentes sunt die in convocatione statuto, quicumque sit eorum numerus, quamvis (summo iure, saltem communi) unus tantummodo electorum sit praesens (cfr. S. Congr. Conc. in *Armacanen.* 12 mart. 1672): legitima enim convocatione secuta ad normam can. 162 § 1, si electores absunt, voluntarie absunt, et ideo censendi sunt iuri suo suffragium ferendi tacite renuntiasse. Sed possunt, uti patet, qui praesentes sunt, iuri suo ad electionem procedendi et ipsi per legitimum actum renuntiare, et exinde denuo convocatio fieri.

2. *Exclusa facultate ferendi suffragia* etc. — Uti diximus, post legitimam convocationem absentes a domo in qua fit electio (cfr. can. 168), iuri suo renuntiasse censentur, et ideo, suffragia, quae fortasse per epistolam aut procuratorem tulerint, irrita sunt et nulla, nisi lege peculiari id fieri permittatur. Lex particularis, quam Codex hic expresse reservat, esse potest lex fundationis, religionis statuta aut ius particulare quomodocumque legitime introductum. His deficientibus, ius commune servandum est.

Can. 164.

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

Ius suffragii ferendi nomine proprio (nomine alieno seu procuratoris nomine latum, nullum est suffragium) potest quis habere plures ob titulos, veluti si canonicus Episcopum eligat et qua canonicus, et qua heres eius, qui ecclesiam dotavit et cui bene merenti ab Ap. Sede fuerit reale privilegium suffragii concessum. Tamen nihilominus elector, nomine proprio, non potest nisi suffragium unicum ferre. Et haec ratio esse videtur: ius suffragii personale est, ac proinde parum refert, habere aliquem plures titulos suffragium ferendi, cum idem sit titulorum subiectum, una mens, una voluntas. Quare etiam, si elector plures quidem ob titulos suffragium ferat, quorum tamen aliud habeat nomine proprio, aliud vero, ex lege peculiari (cfr. can 163), tanquam procurator alieno nomine, cum, qua procurator, alius personam gerat ac voluntatem sequi teneatur, plura tum suffragia ferre potest.

Can. 165.

Nullus collegio extraneus admitti potest ad suffragium, salvis privilegiis legitime quaesitis; secus, electio est ipso facto nulla.

Is est collegio extraneus, qui non est e gremio collegii, qui titulum non habet, quo iuridice censeatur ad collegium pertinere, veluti ex. c. quandoque contingit in Capitulorum dignitatibus, semper vero, ex iure communi, in mansionariis atque beneficiariorum coadiutoribus, etiam cum iure successionis datis. Nullus igitur collegio extraneus admitti potest ad suffragium, secus irrita est electio: et lex omnes electores tenet, sed in primis praesidentem collegii, et in ius novum recepta est ad fraudes, quantum fieri potest, praecavendas. Haec de iure communi: et ideo, salvis legitimis privilegiis (antea quaesitis aut postmodum ab Ap. Sede concedendis) sive clericorum sive laicorum; his tamen ius eligendi acquiri non poterat, nisi ex privilegio apostolico.

Can. 166.

Si laici contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo sese immiscuerint, electio ipso iure invalida est.

Hic nomine laicorum, intelligi videtur tum quaelibet privata persona tum quaelibet persona publica laica, sive physica sive moralis, ac propterea supremi quoque nationum Principes, Gubernia, civiles auctoritates. Si personae huiusmodi contra canonicam libertatem quoquo modo electioni ecclesiasticae sese immiscuerint, haec ipso iure invalida est. Itaque ad hunc effectum producendum requiritur: 1) quod electioni sese immiscuerint; 2) quod id fecerint contra ecclesiasticam libertatem. Potest quis electionibus sese immiscere multis modis, et imprimis aut verbis, idest sine positivo influxu in electores, aut factis, idest per consilium, vim, metum, dolum ac fraudem. Quod laicus electioni sese immisceat verbis, aut etiam consilio privatim dato absque fraude et dolo, non videtur officere ecclesiasticae libertati. Quod si laicus quilibet aut laica potestas electores auro corruperit, vi detinuerit, metu affecerit, tum contra libertatem agit et electio irrita est.

CAN. 167.

§ 1. *Nequeunt suffragium ferre:*

1° *Incapaces actus humani;*

2° *Impuberes;*

3° *Censura vel infamia iuris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam;*

4° *Qui sectae haereticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt;*

5° *Carentes voce activa sive ob legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi aut particulari.*

§ 2. *Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.*

1. Sunt, qui a suffragio in electionibus ferendo prohibeantur. Et prohiberi possunt aut natura aut iure. Primum de iis qui natura prohibentur. *Incapaces actus humani.* — Elector ad collegium de iure pertinens, quamvis forte convocatus et praesens, si incapax sit actus humani validum suffragium ferre non potest. Sunt autem actus humani incapaces ebrii, furiosi, mente capti, nempe quandiu sunt in amentia, et nisi habeant lucida intervalla. Hi natura ipsa suffragium ferre prohibentur: cum enim suffragium actus sit voluntatis et ideo rationis, electores huiusmodi versantur in physica impossibilitate suffragium ferendi. Eademque fere de causa arcentur.

2. *Impuberes.* — Impuberes masculi censentur antequam quartumdecimum aetatis annum expleverint (can. 88 § 2). Ex iis vero quae antea diximus (cfr. c. ad can. 89 n. 3), impuberes habentur a iure uti personae tam infirmi consilii, quod, quamvis legibus ecclesiasticis communiter teneantur, tamen, si contra fecerint, non sint nisi poenis educativis puniendi, poena vero ecclesiastica patrati delicti, in eos qui ad violandam legem induxerint vel concurrerint sit retorquenda (can. 2230). Poterantne impuberes, quibus fortasse iure successionis transmissum fuerit apostolicum eligendi privilegium, ad suffragium ferendum in ecclesiasticis electionibus admitti?

3. *Censura vel infamia iuris affecti, post sententiam* etc. — Hactenus de iis qui a suffragio ferendo natura prohibentur; modo de iis, qui prohibentur positivo praescripto iuris. Hos inter primum locum tenent censura vel infamia iuris affecti: quavis, inquam, poena quae censurae nomine aut infamia iuris contineatur; et ideo incapaces sunt excommunicati, tum vitandi tum tolerati; suspensi, tum ab officio tum a beneficio tum ab utroque; personaliter interdicti, ac denique affecti

infamia iuris, si tamen lata iam fuerit sententia declaratoria vel condemnatoria. At quare censura affecti aut infamia iuris ab electionibus arcentur? Quia profecto poenae huiusmodi vel expresse ius eligendi exercere prohibent (cfr. can. 2265 § 1 n. 1, 2275 n. 3, 2283), vel ab actibus legitimis interdicunt (can. 2294 § 2), inter quos est ius suffragium in electionibus ferendi (can. 2256 n. 1). Quod si ratio ultima quaeratur, facile reperietur in harum poenarum natura, quae in ademptione bonorum ex ecclesiastica communione profluentium consistit, et ideo hae poenae secumferunt obligationem plus minusve eum vitandi, qui iisdem est innodatus. Haec tamen omnia, in electionibus, post sententiam iudicis: nam in foro externo ante iudicis sententiam nemo censetur poena innodatus.

4. *Qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt* etc. — Nimirum, si arcentur censura aut infamia affecti per iudicis sententiam, *a fortiori* arcendi sunt huiusmodi delinquentes, qui a iure gravius puniuntur (cfr. can. 2314 § 1 n. 3). Debet tamen, uti fere semper contingit, delictum esse notorium, nam alias *in foro externo poenae observantiam exigere nemo potest* (can. 2232 § 1). Item: *Carentes voce activa sive* etc. — Et hoc planum est: siquidem activa voce carere, non est nisi iure carere in electionibus suffragium ferendi.

5. *Si quis ex praedictis admittatur* etc. — *Utile non debet per inutile vitiari* (Reg. 37 R. J. in VI°): ac propterea, si quis ex praedictis electioni admittatur, eius quidem suffragium nullum est, utpote ab eo latum, qui suffragii iure caret; sed electio valet, si quoad reliqua fuerit legitime peracta. Duo tamen casus a Legislatore excipiuntur: primus tum contingit, cum, dempto inutili suffragio, constet electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum; et id quoque planum est, nam invalida suffragia computari non possunt. Alter casus tum contingit, cum scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Suffragium, scilicet, personae incapacis, sive haec ex ignorantia incapacitatis, sive scienter fuerit admissa, quamvis in se nullum sit, electionem non vitiat; sed excipitur admissio cuiuslibet excommunicati, quae non ex ignorantia excommunicationis aut sententiae iudicialis, sed scienter locum habuerit: tum enim factum admissionis electionem vitiat. Quare? Certe ex eo quod scienter admiserint; quod, inquam, admiserint, nedum contra expressum praescriptum iuris (can. 2265 § 1), quod etiam suspensos, personaliter interdictos et infamia iuris affectos tenet, sed admiserint quamvis excommunicatum esse scirent, idest a communione fidelium seiunctum per maximam poenam ecclesiasticam, quae, iuridice, merito morti aequiparatur.

Can. 168.

Si quis ex electoribus praesens in domo sit in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi aliter particularibus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum.

In domo praesens est, qui intra domus parietes vel septa degit. Suffragium vero infirmi scriptum esse debet. Quid si infirmus scribere non possit? Nam suffragium nullum est, nisi fuerit secretum (can. 169 § 1 n. 2). Videtur tum suffragium posse verbis aut nutibus ferri et a praeside conscribi, duobus scrutatoribus testibus (cfr. can. 171 § 1). Tandem hic quoque leges particulares ac legitimae consuetudines expresse reservantur.

Can. 169.

§ 1 *Suffragium est nullum, nisi fuerit:*

1° *Liberum; et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive;*

2° *Secretum, certum, absolutum, determinatum.*

§ 2 *Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.*

1. Modo de suffragio eorum, qui legitime ferunt. Et in primis: *Suffragium est nullum, nisi fuerit liberum*, etc. — Liberum est suffragium, cum fertur iuxta mentem et voluntatem electoris. Voluntatem elidit metus gravis, mentem dolus, dummodo haec possint probari. Suffragium liberum esse debet: nam cum semper clericus saltem officio idoneus sit eligendus, libertas suffragiorum in electionibus omnino necessaria est; ideoque nullum est suffragium, quod latum fuerit ex metu gravi atque, uti patet, iniusto et ab extrinseco incusso; aut ex dolo. Parum autem refert metu ac dolo directe quis utatur, idest ad extorquendum suffragium, an indirecte, videlicet ad alium finem, dummodo elector de facto adigatur ad eligendam certam personam aut plures disiunctive.

2. *Secretum, certum, absolutum, determinatum.* — Secretum est suffragium, quod ita fertur a quolibet electore, ut aliis electoribus nunquam pateat, scrutatoribus exceptis, qui iureiurando tenentur de secreto servando; certum est, cum nullum dubium relinquit circa personam designatam, nempe cum ex. c. nomen et cognomen continet, quae generatim ad

certitudinem pariendam sufficiunt; absolutum est, cum nullus modus nullaque conditio adiicitur; determinatum est, cum nullum dubium relinquit circa electoris voluntatem. Suffragium autem secretum esse debet, ad libertatem electorum tuendam, contentiones atque inimicitias vitandas; certum esse debet, ut electa persona possit ab aliis secerni; absolutum esse debet, ut multis controversiis via praecidatur, quae necessario electionem longius protraherent; determinatum esse debet, quia voluntas indeterminate expressa (ita ex. c.: *eligam*, aut *eligerem*, aut *eligere vellem*, aut *eligo Titium vel Caium*) voluntas non est. Quocumque igitur horum vitiorum affectum fuerit suffragium, nullum est et a scrutatoribus reiiciendum. Denique, ut per se patet, qui schedulam albam in urnam deponit, nullum suffragium fert, et censetur sciens volens iuri suo renuntiasse.

3. *Conditiones ante electionem suffragio appositae* etc. — Aliud est suffragio conditiones apponere in actu electionis, aliud id facere ante electionem: illud, suffragium invalidum redit; hoc, suffragium non afficit, perinde ac si nulla conditio apposita esset. Ad rem Innocentius Pp. XII (const. *Ecclesiae catholicae*, 22 sept. 1695) ait: *Porro, ad penitus extirpandum atque evellendum abusum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum seu statutorum quorumcumque, quae perperam ac adversus sacrorum et canonum et constitutionum apostolicarum dispositionem: occurrente ecclesiarum quarumlibet... vacatione, ab iis, ad quos electio personarum idonearum... legitime spectat,... districte prohibemus et interdicimus, ne capitulationes, pactiones* etc. *ante ipsam quidem electionem seu etiam postulationem de cetero inire... audeant quovis modo seu praesumant; illaque proinde... nulla... esse et perpetuo fore... etiamsi iuramento vallata sint... decernimus et declaramus.* Benedictus vero Pp. XIV (const. *Pastoralis*, 15 iul. 1754) Innocentianam constitutionem confirmans, decretum refert S. Congr. Consistorialis super eadem re antea latum, cuius haec meminisse iuvat: *Cum valde ecclesiasticae disciplinae intersit omnem ambitiosae cupiditati aditum praecludere, ac providere ne ullo modo etiam indirecte, laesa remaneat libertas eligendi personas magis dignas magisque idoneas, quae assentiri forsan recusarent iis pactionibus, quibus aliae minus idoneae, ad obtinendum electionis commodum, annuerent: similiter declarandum et decernendum censuit, memorata constitutione* (nempe Innocentiana) *affici eas etiam pactiones, ante electionem vel postulationem initas, quae ceteroquin ecclesiis ipsis vel monasteriis utiles sint vel quae intrinsecus et per se consideratae, nullam mali suspicionem redoleant.* Videtur. S. Congr. Consistorialis hoc decreto vulneri intulisse digitos, et finem legis recto tramite attigisse: immoderatam cupiditatem ambitionemque compescere.

CAN. 170.

Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest.

Si quis fortasse de aliorum omnium idoneitate ita desperaverit, ut suffragium in semetipsum conferendum esse putet, suffragium huiusmodi nullum est. Et recte: nam designationem sui in electionibus omnia iura repellunt. Ut autem possit id scrutatoribus constare, necesse est in schedulis semper exprimatur, simul cum electi, electoris nomen.

CAN. 171.

§ 1. *Ante electionem per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, de gremio collegii duo saltem scrutatores, qui una cum praeside, si et ipse de gremio collegii sit, iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione.*

§ 2. *Scrutatores curent ut suffragio secreto, diligenter, singillatim et servato praecedentiae ordine ab unoquoque electore ferantur; collectisque ad ultimum suffragiis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an suffragiorum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.*

§ 3. *Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.*

§ 4. *Suffragia statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, comburantur.*

§ 5. *Omnia electionis acta, ab eo qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.*

1. Multa sunt in canone, sicut etiam in subsequentibus, quae ad praxim pertinent, parum, quod ad doctrinam; sed neque omnia sunt ad validitatem electionis necessario praestanda. *Ante electionem per secreta suffragia* etc. — Habes hic tertium electionis elementum, quod in deputatione scrutatorum consistit. Haec deputatio tum ante electionem proprie dictam facienda est, cum scrutatores iam deputati non sunt a iure particulari. Scrutatores saltem duo esse debent et de gremio collegii; his, si et ipse de gremio sit, addendus est collegii praeses: uti enim supra vidimus (cfr. can. 165), ob privilegia legitime quaesita possunt electioni interesse, imo praeesse, collegio extranei, qui tamen scrutatores esse nequeunt, ne si electioni quidem praesint. Deinde scrutatoribus interponendum est iusiurandum de munere fideliter implendo (omnia enim scrutatorum

fidei committuntur) ac de secreto servando: idque, quartum est electionis elementum. Quocirca animadvertere praestat, deputationem scrutatorum, quacumque demum forma fiat, esse ad validitatem electionis necessariam: cum enim suffragia non secreta sint nulla, et sine scrutatoribus, qui omnium nomine suffragia inspiciant, numerent, invicem conferant, secreta esse non possint, patet nullam electionem sine scrutatoribus dari, quamvis dari possit sine scrutatoribus iuratis. Obiectum autem iurisiurandi sunt *acta in comitiis etiam expleta electione.* Acta in comitiis: idest omnia quae in comitiis acta sunt. Comitiorum nomine videtur hic intelligi electio proprie dicta, nempe omnia quae respiciunt secretum suffragiorum: cum namque secretum huiusmodi scrutatoribus prodatur, oportebat eos suam fidem interponere iureiurando firmatam, sese hisce notitiis non abusuros, etiam electione expleta. Cumque id prorsus inutile evaderet, si ceteris electoribus liceret suffragii a se lati secretum aperire, videtur consequenter, ita suffragium quodlibet debere esse secretum (can. 169 § 1 n. 2), ut omnibus vetitum sit, etiam electione expleta, in quem collatum fuerit manifestare. Haec vera, nisi fortasse ex eo insiurandum scrutatoribus delatum esse velis, quod ratione muneris quodammodo depositarii fiant secretorum ad se non pertinentium: tum enim dicendum foret, neminem, electionibus expletis, ad secretum teneri circa suffragium a se latum, sed tantummodo circa latum ab aliis. Sed tunc non videntur recte explicari verba canonis *circa acta in comitiis:* num, quod scrutatores suum suffragium ferant, actus non est ad comitia pertinens?

2. *Scrutatores curent ut suffragia secreto* etc. — Quintum electionis elementum est suffragiorum datio; sextum, suffragiorum adhuc clausorum coram praeside electionis (sive hic sit e gremio sive minus) enumeratio; septimum, suffragiorum aperitio ac scrutatio, num quod ex iis aliqua de causa nullum sit; octavum, publicatio, nempe numeri suffragiorum, quem quisque retulerit. Sed de his multa statuuntur iure particulari, quod et hic expresse reservatur.

3. *Si numerum suffragiorum superet* etc. — *Omnia electionis acta* etc. — Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, scrutinium irritum est et denuo fieri debet, nec ideo computatur inter inefficacia scrutinia de quibus can. 101 § 1 n. 1: tum enim constat aliquem electorum plura suffragia tulisse contra praescriptum can. 164. Quod si numerus suffragiorum adaequet electorum numerum, aut etiam si inferior sit (quia nempe aliquis iure suffragii renuntiavit et ne albam quidem schedulam exhibuit), tum aperienda sunt suffragia et ad ulteriora procedendum. Omnia autem electionis acta ab electore, qui fungitur actuarii munere, ordinatim sunt et accurate describenda ac diligenter servanda, uti postea possint ad Superiorem, ad quem spectat electi confirmatio, trasmitti.

Can. 172.

§ 1. *Electio, nisi aliud iure caveatur, fieri etiam potest per compromissum, si nempe electores, unanimi et scripto consensu, in unum vel plures idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant.*

§ 2. *Si agatur de clericali collegio, compromissarii debent esse sacerdotes, secus electio est invalida.*

§ 3. *Compromissarii debent pro validitate electionis conditiones compromisso appositas, quae non sint contra ius commune, observare; si nullae conditiones additae fuerint, servandum ipsis est ius commune circa electiones; conditiones autem contra ius pro non appositis habeantur.*

§ 4. *Si ab electoribus in unam tantum compromissum fuerit personam, haec nequit seipsam eligere; si plures designati fuerint compromissarii, nemo ex iis proprio consensu potest accedere reliquis ipsum eligentibus ut electionem sui compleat.*

Praeterquam per scrutinium, electio ad officium ecclesiasticum fieri potest per compromissum in arbitros, quo omne ius eligendi e collegio semel in compromissarios transfertur. Quare, cum agatur de translatione iuris, quo nemo invitus privari potest, consensus unanimis esse debet; cum vero agatur de iure eligendi ad ecclesiasticum officium, oportet compromissarios esse idoneos, tales nempe, qui ad normam can. 167, possent suffragium ferre; et si agatur de clericali collegio, (ex. c. de Capitulo, religione clericali, non autem de confraternitate aut etiam religione laicali) sacerdotes. Exinde conditiones quoque huic iuris translationi forte adiectae observari debent. Ad normam vero can. 170, nequit compromissarius in semetipsum suffragium conferre. Haec, nisi aliud iure caveatur: nempe aut communi (veluti can. 506 § 2 de monialibus, quibus compromisso uti non conceditur) aut particulari. Cetera satis clara videntur.

Can. 173.

Cessat compromissum et ius eligendi redit ad compromittentes:

1. *Revocatione a collegio facta, re integra;*

2. *Non secuta aut non servata aliqua conditione compromisso apposita;*

3. *Electione absoluta si fuerit nulla.*

1. Translatio iuris, quae fit per compromissum, translationi, quae per mandatum fit, aequiparanda est (cfr. can. 179 § 2). Ait autem Justinianus Aug. (*Inst.* III, 26 § 9): *Mandatum contractum, si dum adhuc*

integra res sit revocatum fuerit, evanescit. Potest igitur compromissum solvi per revocationem collegii. *Collegii*, ait canon: nempe per actum, quo dici possit collegium voluntatem suam manifestasse, ad normam can. 101 § 1 n. 1; et ideo non requiritur consensus unanimis: agitur enim non de iure alienando, sed acquirendo. At revocatio amplius fieri non potest, re non integra, idest postquam compromissarii munus sibi delatum substantialiter explere coeperunt.

2. Verum, *mandatum... sub conditione fieri potest* (*Inst.* III, 26 § 12). Et cum translationi iuris conditio adiecta est, hac non secuta aut non servata, ius translatum non intelligitur. Et ita sane de compromisso dicendum est. Nimirum, si quae conditio, independens a voluntate compromissariorum, secuta non fuerit; aut conditio ab eorum voluntate dependens non fuerit servata, evidens est compromissum solvi et ius eligendi ad compromittentes redire.

3. Itemque redit, si electio a compromissariis facta, invalida fuerit, quacumque de causa id contingat. Siquidem, haec clausula semper censetur apposita compromisso: ut quid enim compromissum, nisi ad difficultates electionis ordinariae eliminandos? Extante autem nullitate electionis, videtur compromissum fini suo defecisse.

Can. 174.

Is electus habeatur et a collegii praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 101 § 1 n. 1.

Sive per ordinariam electionem, ad normam etiam can. 101 § 1 n. 1. peractam, sive extra ordinem per compromissum quis ad officium ecclesiasticum electus fuerit, a collegii, vel compromissariorum, si plures fuerint, praeside, proclamandus est coram omnibus clara et intelligibili voce. Et hoc est nonum elementum electionum.

Can. 175.

Electio illico intimanda est electo, qui debet saltem intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus omne ius ex electione quaesitum amittit.

Habes hic decimum et ultimum electionis elementum: electionis intimationem. Haec illico, nulla mora interiecta, per actum authenticum facienda est. Electo vero datur intervallum utile (cfr. c. ad can. 155 n. 2) octo dierum, a die receptae intimationis computandum (cfr. c. ad can. 162 n. 2), ut animum suum manifestet. Quod si intra utile tempus ele-

ctioni non consenserit, renuntiasse censetur, et omne ius ex electione quaesitum amittit. Quodnam ius? Sane ius *ad rem*, sed conditionatum, et ideo suspensum: hac nempe conditione, quod electionem acceptaverit.

Can. 176.

§ 1. *Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione quaesitum amittit, etsi renuntiationis eum postea poeniteat; sed rursus eligi potest; collegium autem intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.*

§ 2. *Acceptatione electionis electus, si confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet, secus, non acquirit nisi ius ad rem.*

§ 3. *Ante acceptam confirmationem ipsi praetextu electionis non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.*

Canon clarus. Haec nota digna: 1) mensem, de quo in § 1, non esse hic *utilem*, sed *continuum*, idque in favorem tum officii, ne diutius sit vacans, tum liberae collationis; 2) plenum ius, de quo in § 2, esse ius *in re*, quo officium ecclesiasticum acquiritur electo in titulum, tanquam *res sua*, quodque proinde experiri potest adversus quemlibet rei possessorem; dum ius *ad rem*, nempe ad rem in titulum obtinendam, electus experiri non potest, nisi adversus Superiorem, ad quem pertinet electionis confirmatio; 3) officii administrationem in spiritualibus, respicere exercitium potestatis tum ordinis tum iurisdictionis; in temporalibus vero, gestionem bonorum temporalium.

Can. 177.

§ 1. *Electus, si electio confirmatione indigeat, saltem intra octiduum a die acceptatae electionis confirmationem a competente Superiore petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento fuisse detentum.*

§ 2. *Superior, si electum repererit idoneum et electio ad normam iuris fuerit peracta, nequit confirmationem denegare.*

§ 3. *Confirmatio in scriptis dari debet.*

§ 4. *Recepta confirmatione, electus obtinet plenum ius in officio, nisi aliud in iure caveatur.*

1. Supra vidimus (can. 176 § 2) electum, si confirmatione non egeat, plenum in officio ius statim obtinere; alias, petere debet confirmationem. *Electus... saltem intra octiduum a die acceptatae electionis* etc. — Et hic tempus a iure concessum, octidnum est, et quidem utile, imo,

ut patet ex postremis verbis paragraphi, ita dicam, plus quam utile. Etenim utile tempus in iure habetur, quod alicui ita competit, ut ignoranti aut agere non valenti non currat. Hic de ignorantia nulla quaestio. At iuridice agere non valere is dicitur, qui nullo exteriori impedimento ab agendo detinetur. Dari autem queunt impedimenta, quae et iusta esse possunt, et extra non apparere, et simul per testimonium boni viri quodammodo probari. Breviter: videtur hic Legislator non sine consilio a technica locutione *octiduum utile* abstinuisse, et cavere voluisse electis illis, qui, cum compertum habeant non oportere officium ecclesiasticum *inconscienter* obiri, detinentur dubiis magnisque anxietatibus, eo magis officio digni, quo minus stulta cupiditate consequi conantur.

2. *Superior, si electum repererit idoneum* etc. — In libera collatione (cfr. can. 153 § 2) Superior ad officium assumere tenetur magis idoneum inter eos, qui ad idem officium idonei sunt. In electionibus, ex adverso, non requiritur a collegio, nisi ut idoneum eligat, ac proinde Superior nonnisi idoneum confirmare potest. Ut igitur electio dicatur legitime peracta, duo sunt necessaria: 1) ut nullo substantiali vitio affecta sit; 2) ut idoneus fuerit electus, nempe doctrina, prudentia, aptitudine laboris. Legitima vero extante electione, Superior nequit confirmationem denegare; et si denegaverit, datur actio ad petendam confirmationem electionis: non enim electus sine iusta causa privari potest iure legitime quaesito.

3. *Confirmatio in scriptis* etc. *Recepta confirmatione, electus* etc. — Confirmatio dari debet in scriptis, non utique ad validitatem confirmationis (nam lex irritans non est [cfr. can. 11] ac propterea sufficit confirmatio in foro externo probari possit, si in dubium vertatur), sed ut facilius in posterum appareat, eam legitime esse secutam. Confirmatione autem recepta, acquiritur electo ius *in re* (cfr. c. ad can. 176) nisi aliud iure caveatur. Quae verba probe sunt intelligenda. Plenum ius, seu ius *in re*, de quo loquitur canon, efficit, ut res mea sit, et ideo in se rei quoque possessionem continet et exercitium eorum iurium, quae cum possessione coniunguntur. Quare, si alius antea rem possidebat suo nomine, a momento quo plenum in re ius assecutus sum, is incipit precario, idest nomine meo possidere, et exinde nihil agere potest praeter meum mandatum. At, ex. c. can. 334 § 2 haec habet: *Episcopi residentiales . . . in regimen dioecesis . . . sub nullo titulo sese ingerere possunt, nisi prius eiusdem dioecesis possessionem canonice ceperint.* Aliis verbis hoc in casu, sicut et in aliis similibus quae ex iure particulari fortasse obveniant, per dispositionem legis, ius electo et acceptanti per confirmationem acquisitum, dicitur non esse plenum, seu ius *in re* non esse perfectum: nam usque quo possessio de facto locum non habuerit, iura possessionis confirmatus exercere nequit. Hic sensus, haec ratio eorum verborum canonis: *nisi aliud in iure caveatur.*

CAN. 178.

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium iure eligendi privetur in poenam, libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit.

Canon causas exhibet, quibus extantibus, potestate sublata collegio, provisio officii ecclesiastici fit liberae collationis. Causae huiusmodi duae esse possunt communiter: aut renunciatio collegii sive expressa sive tacita (velut praeteritio temporis a iure statuti) aut privatio poenalis iuris eligendi. Aliis in casibus (nempe non acceptationis aut non petitae confirmationis intra praescriptum tempus vel renunciationis ex parte electi aut denegatae confirmationis ex parte Superioris) electio nulla evadit ex causa externa, non autem culpa aut negligentia collegii: ideoque collegium ius eligendi non amittit. In primis igitur electio, ad normam can. 161, fieri debet intra trimestre utile ab habita notitia vacationis officii; quod si electus renuntiaverit, nova electio facienda est intra mensem ab habita notitia renunciationis. Si collegium hos terminos transgrediatur perdit ius eligendi. Sed idem ius etiam perdit, si eo privetur propter delictum. Et revera can. 2391 § 1 ait: *Collegium quod indignum scienter elegerit, ipso facto privatur pro ea vice iure ad novam electionem procedendi*, nempe, postquam electo, indigno reperto, Superior confirmationem denegaverit. Canon vero 2393: *Omnes qui iure eligendi . . . legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate illius cui confirmatio . . . competit, officium . . . ecclesiasticum conferre praesumpserint, suo iure pro ea vice ipso facto privati manent.* Haec, ne loquamur de crimine simoniae, quod qui perpetraverint (et perpetrari potest a collegio eligente) inter alia *ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi* (can. 2392 n. 2). Haec in poenam delicti. Et notandum est, quoad can. 2391 § 1, aliud esse electum *inidoneum*, aliud *indignum*: inidoneus quis est, ita dicam, *negative*, seu propter quosdam naturales defectus; indignus *privative*, seu propter crimina positive admissa. Quoad ius successive providendi, cfr. c. ad can. 158 n. 1.

ART. III.

DE POSTULATIONE.

Can. 179.

§ 1. *Si electioni illius, quem electores aptiorem putent ac praeferant, impedimentum obest, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competente Superiore postulare, etsi agatur de officio, pro quo electus confirmatione non egeat.*

§ 2. *Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.*

1. Eligitur quis ad normam iuris si habilis; postulatur vero contra ius si inhabilis. Postulatio igitur non procedit *per viam iuris*, sed *per viam gratiae*, quam electores petunt in favorem designati. Hinc omnia proveniunt, quae in articulo habentur. Itaque: *Si electioni illius quem electores aptiorem putent*, etc. — In primis postulari non potest nisi aptior: etenim, si personae designandae aeque fuerint idoneae, sed electioni alterius impedimentum obsit, nulla est ratio quare haec postuletur, illa non eligatur. Impedimentum autem, quo de agitur, esse non potest nisi praescriptum iuris, personam huiusmodi ab electione prohibentis, ex. c. quia aetatem ad officium requisitam non attigerit. Itaque super impedimento in postulationibus dispensatio petitur. Sed electores petere non possunt, quod non potest concedi, veluti si agatur de praescripto legis divinae sive naturalis sive positivae; aut quod concedi non solet, veluti si agatur de praescripto legis, quae, quamvis ecclesiastica sit, tamen ius divinum proxime attingat (et ita arcentur epileptici) aut publicam utilitatem respiciat (et ita arcentur deformitate insignes).

2. *Suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi* etc. — Itaque ab electoribus postulatio, sicut et electio, per secreta suffragia facienda est, et semper fieri potest, nisi aliud iure caveatur, iure videlicet communi aut particulari, ex. c. ad normam can. 507 § 3, quo cavetur: *Postulatio* (in electionibus quae a capitulis religiosorum fiunt) *admitti potest solum in casu extraordinario et dummodo in constitutionibus non prohibeatur.* Deinde postulatio competenti Superiori exhibenda est. Potest autem Superior esse competens ad electum confirmandum, non autem ad postulatum admittendum; item, quamvis agatur de officio, pro quo electus confirmatione non egeat, debet pro postulato Superior competens adiri: ambo ex eo patent, quod, cum postulatio secumferat petitionem dispensationis a legis praescripto, solummodo ex consensu legislatoris aut

eius qui ab eo facultatem obtinuit dispensandi, admitti potest. Et exinde, si impedimentum ex iure communi proveniat, nullus Superior est competens, praeter Ap. Sedem vel qui ad eadem facultatem dispensandi habuerit.

3. *Compromissarii postulare nequeunt, nisi* etc. — Per compromissum ius eligendi (cfr. can. 172 § 1), non postulandi transfertur. Quare ius postulandi, qui est modus subsidiarius designandi ad officium ecclesiasticum, et quidem contra praescriptum iuris, ad rationem compromissi non pertinet, ideoque aut in ipso instrumento compromissi aut in mandato, qui compromissariis remittitur in translati iuris testimonium, expresse demandari debet: quod si factum non fuerit, demandatum non censetur.

CAN. 180.

§ 1. *Ut postulatio vim habeat, pro ea stet oportet maior suffragiorum pars, imo, si cum electione concurrat, saltem duae tertiae partes requiruntur.*

§ 2. *Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: «postulo», aut aequivalens; formula: «eligo vel postulo», aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione.*

Numerus suffragiorum ad validitatem electionum, ex praescripto can. 101 § 1 requisitus, ad postulationem non sufficit, nisi in duobus primis scrutiniis: etenim maioritas relativa, quae ad normam eiusdem canonis, sufficit in tertio scrutinio ad validitatem electionum, non sufficit ad validitatem postulationum, sed semper maioritas suffragiorum absoluta esse debet. Imo, si postulatio cum electione concurrat, idest si electorum quidam eligant, quidam vero postulent, semper, tum in primo tum in sequentibus scrutiniis, duae tertiae partes suffragiorum requiruntur. Et ratio semper eadem esse videtur: postulatio, electio est personae de iure inhabilis, et ideo contra ius, cum petitione dispensationis coniuncta. Quid igitur mirum, si electio gaudeat favore iuris, ita ut concurrens postulatio rata non sit, nisi suffragia electiva elidat numerus duplo maior suffragiorum postulativorum, imo etiam extra concursu (idest si omnes electores, postulent), nisi collegium se id velle probet per maioritatem absolutam?

CAN. 181.

§ 1. *Postulatio saltem intra octiduum mitti debet ad Superiorem ad quem pertinet electionem confirmare, si facultatem habeat ab impedimento dispensandi; secus ad Romanum Pontificem aut ad alium habentem facultatem.*

§ 2. *Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso*

facto nulla evadit et electores pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi, nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentos fuisse impedimento.

§ 3. *Per postulationem nullum ius postulato acquiritur et Superiori licet eandem repellere.*

§ 4. *Praesentatam Superiori postulationem electores revocare non possunt, nisi Superiore consentiente.*

1. Postulatio non intimatur electo (cfr. can. 175): ut quid enim intimaretur, cum nullum ius sit ei ex postulatione quaesitum, et status eius personalis idem atque antea perseveret, imo cum postulatio a Superiore, absque ulla cuiusquam iniuria, reiici semper possit? Itaque: *Postulatio saltem intra octiduum mitti debet* etc. — Postulatio ad Superiorem mitti debet per ipsum collegium, cui inhabilem personam designare placuit, neque ulla est ratio, quare mittatur a postulato. Sequitur: *Si intra praescriptum tempus* etc. — Cum agatur de designatione inhabilis, idest contra ius quodammodo facta, videtur hic, cum circumlocutione verborum redire ratio quam supra attulimus, ubi agebatur de electionis confirmatione petenda (cfr. c. ad can. 177 n. 1). Est igitur octiduum utile *et amplius.*

2. *Per postulationem nullum ius postulato acquiritur* etc. — Est namque postulatus de iure inhabilis et exinde, ad officium postulatur ex gratia: quomodo posset ei ius per postulationem acquiri? Cum vero nullum ius acquiratur, patet posse Superiorem absque iniuria cuiusque postulationem repellere: nemo enim ex iustitia tenetur ad gratiam concedendam, cum *iustitia* et *gratia* invicem sese excludant. Et cum nihil postulato debeatur, nulla datur ei (sicut datur electo) a iure actio ad petendam admissionem postulationis.

3. *Praesentatam Superiori postulationem* etc. — Innocentius Pp. III in decretali inter fontes relata (c. 3 X *de postul. praelat.* I, 5) ait: *Si enim, postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, et praesentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, et iudicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur.* Sed praeterea, *quod semel placuit, amplius displicere non potest* (Reg. 21 R. J. in VI), idque praesertim, si hoc vergat in damnum alterius, nam *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum* (Reg. 33 ibid.): hae rationes huius praescripti.

CAN. 182.

§ 1. *Reiecta a Superiore postulatione, ius eligendi ad collegium redit, nisi electores scienter illum postulaverint qui tali detinetur impedimento in quo nequeat aut non soleat dispensari; tunc enim provisio ad Superiorem pertinet.*

§ 2. *Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 175.*

§ 3. *Si eam acceptet, plenum ius in officio eidem statim acquiritur.*

Sicut electione non confirmati, ita et reiecta postulatione ius eligendi ad collegium redit (cfr. c. ad can. 178), estque collegio facultas aut eligendi aut denuo postulandi. Excipitur casus, quo collegium eum postulaverit, qui postulari non poterat ob impedimentum non dispensabile: tum enim ea vice provisio fit liberae collationis. Nec immerito: siquidem collegium, iure suo cum fuerit abusum, eodem privari meruit. Quod si postulatio a Superiore admissa fuerit (nempe per dispensationem impedimenti ac deinde per confirmationem personae, quam dispensatio idoneam fecit: haec namque omnia in admissione continentur), id tunc postulato significandum est, qui intra octiduum utile respondere debet ad normam can. 175. Superior igitur competens electos confirmat, postulatos admittit: etenim, cum nullum, uti supra demonstravimus (cfr. c. ad can. 181 n. 2), ex postulatione ius acquiratur postulato, proprie loquendo, quod confirmet non est. Denique postulatus acceptans, plenum ius in officio statim obtinet, eo nempe sensu, quo iuxta can. 177 § 4, obtinet confirmatus. Eius itaque naturae est postulatio, quod postulato aut nullum, aut omne simul ius acquiratur: et ratio est, quia in postulationibus acceptatio postulati ultimum locum tenet, et nullum ius sine acceptatione acquiritur.

CAPUT. II.

DE AMISSIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

CAN. 183.

§ 1. *Amittitur officium ecclesiasticum renuntiatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis praefiniti.*

§ 2. *Resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerat concessum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi lex aliud caveat aut nisi in concessione habeatur clausula: «ad beneplacitum nostrum», vel alia aequipollens.*

1. Hactenus de variis modis, quibus officium ecclesiasticum acquiri potest: nunc, de modis, quibus potest amitti. Primus modus est perso-

nae, quae officium obtinebat, extinctio. Haec duplex esse potest: physica aut iuridica. Iuridice persona ecclesiastica quodammodo extinguitur (nempe quoad iura) per poenam excommunicationis plenae et absolutae, quae est in Ecclesia maxima deminutio capitis et locum habet in excommunicatis vitandis. Hinc excommunicatus vitandus *manet privatus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere,* si quae habeat in Ecclesia. Manet privatus: proinde hic modus amissionis in privationem recidit. Extinctio physica per mortem fit, quae omnia iura dissolvit; nulla tamen in canone de obitu mentio, quia et per se patet tum officium necessario amitti, et in renunciatione quodammodo continetur, et praesertim, quia canon loquitur de iis officiorum amissionibus, quae per humanam voluntatem fiunt, perdurante quoad cetera status personalis subiecti. Quare:

§ 2. *Amittitur officium ecclesiasticum renuntiatione* etc. — Amissio officiorum, quae per factum fit humanae voluntatis, aut a voluntate habentis officium aut a voluntate Superioris procedit, idest vel ab eo qui officium contulit vel ab eo qui acceptavit: ab eo qui acceptavit in *renunciatione;* ab eo qui officium contulit quadruplici modo: 1°) *lapsu temporis* a Superiore vel a iure *praefiniti,* si officium collatum fuerit ad tempus determinatum; si vero absque ulla temporis determinatione fuerit collatum, amitti potest aut 2°) per *translationem,* nempe per acquisitionem alterius officii, quae ex voluntate conferentis secumferat amissionem prioris, aut simpliciter et absolute vel 3°) per *amotionem,* vel 4°) per *privationem.* Quod probe intelligendum est. Nimirum, aliud est amotio, aliud privatio: privatio enim officii ecclesiastici est poena vindicativa clericorum propria, quae, si agatur de officio inamovibili, nonnisi mediante processu ad normam iuris (can. 192 § 2) et in casibus tantum a iure expressis (can. 2299 § 1) et quidem per tribunal collegiale (can. 1576 § 1 n. 1) infligi potest; si vero agatur de officio amovibili *ad nutum* Superioris, infligi potest ex qualibet iusta causa (can. 192 § 3) et *de plano.* Clericum officio privatum non tenetur Superior de necessariis providere. Contra, amotio poena non est (cfr. can. 2147 § 2); semper *de plano,* quamvis aliquando certa procedendi ratio servanda sit (cfr. can. 2142-2161), decernitur, communi bono id postulante, et Superior obligatione tenetur amotum clericum providendi de necessariis.

3. *Resoluto quovis modo iure Superioris* etc. — Potest et alio modo officium ecclesiasticum amitti, nempe resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerat concessum. Idque contingit, cum in officio permansio huic iuri quomodolibet devincitur. Potest autem devinci dupliciter: 1) per factum iuris, si ius expresse statuat iure Superioris resoluto officium amitti, veluti accidit ex. c. de officio Secretarii Status ac Brevium apostolicorum, Cancellarii ac Datarii S. R. E. (Pius Pp. X const. *Vacante Sede Apostolica,* 25 dec. 1904, n. 17 et 18), vel de officio Vicarii

generalis extra Urbem (can. 371); 2) per factum hominis, si Superior in officio conferendo, per clausulam: *ad beneplacitum nostrum* vel aliam aequipollentem, significaverit, velle se officium conferre per tempus, quo ei ita placuerit, quo eius voluntas fuerit ita disposita; ac proinde cum, iure eius dissoluto, amplius id velle non possit, officium, corruente fundamento, ipso facto amittatur. His casibus exceptis, resolutio iuris eius, qui officium contulit, nullum in officium effectum habet.

Can. 184.

Quisque sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi speciali prohibitione renuntiatio sit ipsi interdicta.

1. Canon, cum septem subsequentibus est de amissione officii per renunciationem. Clericus acceptans absolute officium ecclesiasticum, quod natura sua, veluti beneficium, ad vitam confertur; vel utcumque officium natura sua perpetuum, quod neque *ad tempus* neque *ad nutum* Superioris collatum sit, per se nunquam potest eidem renuntiare, cum sese obligaverit sine temporis limitatione. Veruntamen, aequitatis causa, conceditur a iure facultas renuntiandi, dummodo quaedam adsint conditiones, quarum iudex est Ordinarius, ad quem spectat renunciationem acceptare. Conditiones huiusmodi hoc et duobus sequentibus canonibus recensentur.

2. *Quisque sui compos potest officio ecclesiastico* etc. — Prima conditio, a iure hic expresse requisita, ex eo consistit, quod clericus, dum officio renuntiat, sit sui compos. Et lex est iuris naturalis. Nimirum, renunciatio in amentia, furore, ebrietate, hypnosi facta, irrita est ex deficientia voluntatis. Deinde iusta de causa fieri debet. Causas canonicas antiqui numerabant sex: *conscientiam criminis*, quod nempe, etiam post actam poenitentiam, impedit executionem officii; *debilitatem corporis; defectum scientiae; malitiam plebis,* ob quam cogatur clericus beneficio renuntiare; grave *scandalum* et contractam *irregularitatem.* (cfr. Reiffenstuel, *Ius canon. univ.* in lib. I tit. 9 *Decretal.* n. 35).

3. *Nisi speciali prohibitione* etc. — Renunciatio quandoque quibusdam personis interdicitur. Ita ex. c. et illicita et nulla est ipso iure renunciatio officii beneficialis a novitio facta (can. 568). Idque fit, ut suis in locis videbimus, praesertim ad fraudes vitandas, decorem clericorum (cfr. can. 1484) vel bonum commune tuendum.

Can. 185.

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo aut errore substantiali vel simoniace facta, irrita est ipso iure.

Renunciatio, quae sponte non fit, irrita est iure ipso naturae: nam qui sponte non vult, velle dici non potest. Quod autem metus, dolus, error possit actus spontaneitatem auferre, supra demonstravimus (cfr. c. ad can. 103 n. 3-5 et ad can. 104). Ea vero renunciatio simoniace fit, quae *studiosa voluntate* peragitur *emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem vel rem temporalem spirituali* inseparabiliter *adnexam* (can. 727 § 1). Sed hac de re fusius postea.

Can. 186.

Renuntiatio, ut valida sit, fieri debet a renuntiante aut scripto aut oretenus coram duobus testibus aut etiam per procuratorem speciali mandato munitum; et scriptum renuntiationis documentum in Curia deponatur.

Lex est irritans. Renunciatio aut scripto, a renuntiante subsignato, aut coram testibus fieri debet; et, si per procuratorem fiat, requiritur speciale mandatum, et ipsum aut scripto datum aut coram testibus; quod si testes adhibeantur, renunciatio scripto exaranda est a Curiae cancellario aut notario (cfr. can. 372 § 3 et 374) et in archivo Curiae custodienda. Quam sane actus formam ius praecipit, ad fraudes praeveniendas et controversias, quae inde facile oriri possunt, eliminandas.

Can. 187.

§ 1. *Renuntiatio generatim, ut valeat, ei fieri debet a quo est acceptanda, vel si acceptatione non egeat, a quo clericus officium accepit vel qui eiusdem locum tenet.*

§. 2. *Quare si officium per confirmationem, admissionem vel institutionem collatum fuerit, renuntiatio fieri debet Superiori ad quem de iure ordinario confirmatio, admissio vel institutio spectat.*

1. Canonica officii provisio eodem modo dissolvitur, quo nata est. Perficitur autem provisio canonica per actum Superioris titulum conferentis, sive conferat personae a se designatae (veluti in libera collatione), sive personae ab aliis electae, postulatae, nominatae, praesentatae. Haec generatim. Proinde: *Renuntiatio generatim, ut valeat, ei fieri debet* etc. —

Canon decernit, ei Superiori renunciationem praesentari oportere, a quo est acceptanda: alias, renunciatio invalida est. A quo est acceptanda: canon non dicit, praesentari ei debere, a quo collatus est titulus ad officium, nam contingere potest, alium esse qui titulum confert, et alium, a quo renunciatio acceptanda est. Ita ex. c., cum Romanus Pontifex eiusve delegatus vel utcumque facultatem habens, inferioris Ordinarii impotentiam (cfr. can. 181 § 1) in dispensando supplet ac postulatum clericum admittit; vel cum metropolita, suffraganei supplens negligentiam, ad beneficium praesentatum instituit (can. 274 n. 1); tunc, qui titulum ad officium tradit, sane non est clerici Ordinarius, et tamen ad Ordinarium etiamtum pertinet acceptare renunciationem: siquidem, qui Ordinarii impotentiam aut negligentiam supplet, nullam inde potestatem acquirit in nominatum (can. 158). Ei igitur renunciatio fieri debet, a quo est acceptanda; ab eo autem acceptanda est, ad quem iure ordinario pertinet titulum ad officium conferre, sive de facto contulerit sive minus. Haec, si renunciatio acceptatione indigeat. Sed non semper renunciatio indiget acceptatione; ita ex. c. nulla acceptatione indiget renunciatio Vicarii capitularis (can. 443 § 1) et saepe etiam, ex iure particulari, renunciatio supremi Moderatoris in religionibus: tum vero, ut valeat, facienda est ei, a quo clericus officium accepit, ex. c. Capitulo, si de Vicario capitulari agatur (ibid.); vel ei, qui eiusdem locum tenet, ex. c. Curiae generali, ut in quibusdam religionibus contingit. Haec omnia, ait canon, *generatim:* dari enim potest casus, quo nemini renunciatio praesentanda sit; idque evenit in Romano Pontifice, qui, cum iure divino in Supremo pontificatu constituatur per acceptationem legitimae electionis, ubi quomodocumque certe constet, eius voluntatem esse immutatam et abdicasse se supremo pontificatu, absque ulla iuris humani sollemnitate, Ap. Sedes vacare censetur. Aliis verbis, potestas Romani Pontificis ex iure divino per acceptationem nascitur, per renunciationem, quomodocumque expressam, dissolvitur.

2. *Quare si officium per confirmationem, admissionem*, etc. — Huc ea, quae supra diximus, referenda sunt: nimirum, ei Superiori praesentanda est renunciatio, ad quem de iure ordinario spectat titulum ad officium tradere, quamvis de facto sive propter impotentiam in dispensando, sive propter negligentiam in providendo, sive utcumque iure devolutionis, titulus ab alio Superiore traditus fuerit. Quod si *clericus in manus laicorum* (patronis atque laicis, qui ex privilegio apostolico iure eligendi aut nominandi gaudeant, non exceptis) *officium... resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem « a divinis » incurrit* (*can. 2400*).

Can. 188.

Ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus:

1. *Professionem religiosam emiserit, salvo, circa beneficia, praescripto can. 584;*

2. *Intra tempus utile iure statutum vel, deficiente iure, ab Ordinario determinatum, de officio provisus illud adire neglexerit;*

3. *Aliud officium cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit;*

4. *A fide catholica publice defecerit;*

5. *Matrimonium, etiam civile tantum, ut aiunt, contraxerit;*

6. *Contra praescriptum can. 141 § 1 militiae sacculari nomen sponte dederit;*

7. *Habitum ecclesiasticum propria auctoritate sine iusta causa deposuerit, nec illum, ab Ordinario monitus, intra mensem a monitione recepta resumpserit;*

8. *Residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae Ordinarii monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum, nec paruerit nec responderit.*

1. Canon est maximi momenti. Ius in quibusdam casibus admittit secutam esse officii renunciationem tacitam. Agitur de casibus, in quibus factum clerici ex iuris dispositione, excludit capacitatem officium ecclesiasticum retinendi. Quare, certe heic non agitur de simplici praesumptione *iuris*, quae possit elidi, retinendi voluntate probata. Si de vera praesumptione agitur, haec esse non potest, nisi praesumptio *iuris et de iure*, quae nempe elidi non potest, nisi probata inconsistentia fundamenti, quo praesumptio innititur, videlicet facti, propter quod clericus praesumitur officio tacite renuntiasse. Cum vero haec tacita renunciatio admittatur a iure, statim ac factum, de quo supra, in foro externo constat, facto ipso et absque ulla declaratione officium vacat.

2. *Professionem religiosam emiserit, salvo* etc. — Can. 584 decernit: *Post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia parocialia; post triennium cetera.* Professio religiosa aut *simplex* est aut *sollemnis*; haec semper perpetua est; professio autem simplex, aut *perpetua* est aut *temporaria*. Exceptis igitur officiis beneficialibus, statim ac quis quamlibet religiosam professionem emittit, vacant ipso facto officia ecclesiastica, quae forte in saeculo habet, utpote cum nova vitae ratione incompatibilia. Officiorum autem beneficialium vacatio differtur aequitatis causa, ne scilicet clericus, ad saeculum forte revertens, ne

cessariis careat; et quidem longius differtur, quo maior est dignitas beneficiorum.

3. *Intra tempus utile iure statutum vel* etc. — Sunt officia ecclesiastica, quibus adeundis tempus utile ius statuit. Ita ex. c., ex can. 333, *nisi legitimo impedimento prohibeatur, promotus ad episcopatum... debet intra.... quatuor menses ad suam dioecesim pergere.* Quod, si iure communi aut particulari tempus adeundi statutum non sit, identidem Ordinario determinandum est. Elapso tempore a iure vel ab homine determinato, clericus qui illud praetermiserit, ipso facto officium perdit. Tamen tempus utile est, ideoque clerico agere non valenti non currit, dummodo impedimentum probari possit.

4. *Aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile* etc. — Oportet igitur in primis adsit incompatibilitas (cfr. c. ad can. 156 n. 2); deinde alterum officium pacifice possideatur. Pacifice possidet, qui possidet nemine contradicente. Cum vero canon simpliciter loquatur de pacifica possessione *obtenta*, nec ullam possessionis durationem statuat, patet Legislatorem terminum constituisse in momento, quo, nemine tum vel antea contradicente, officii possessio capitur.

5. *A fide catholica publice defecerit. — Matrimonium, etiam civile tantum* etc. — A catholica fide deficit quis propter admissam haeresim vel apostasiam (can. 1325 § 2): per haeresim quidem ex parte, per apostasiam ex toto. Iam vero, canonis quoque 2314 § 1 habita ratione, videtur posse quis a fide deficere tripliciter: 1) per defectionem occultam, tamen facto proditam, ita ut Superiori innotescat, et tum poenam quidem excommunicationis ipso facto incurrit, sed officio, si quod habeat, ipso facto non privatur (ibid.); 2) per defectionem publicam, et tunc a momento quo defectio publica est, ex. c. ex haereticis opinionibus in publicis diariis pertinaciter propugnatis, ad normam huius canonis, quem explicamus, ipso facto a quolibet officio ecclesiastico decidit; 3) per cooptationem in sectam acatholicam vel publicam eidem sectae adhaesionem: et tunc, ex praescripto can. 2314 § 1 n. 3, praeter poenas supradictas multatur infamia iuris et, si de clerico agatur, monitione incassum praemissa, degradandus est. Clerici vero matrimonium contrahentes, si sint *in sacris constituti vel regulares... post votum sollemne castitatis* (praeter amissionem ipso facto officii ecclesiastici) *incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam* (can. 2388 § 1). Idque, etiamsi agatur de actu, quem *matrimonium civile* brevitatis causa vocamus, quamvis revera baptizatis sit prorsus irritus (cfr. can. 1016) et ideo, per se, nullos effectus producere possit: nam poena actum plectit, non qua validum aut nullum, sed qua positum contra praescriptum iuris.

6. *Contra praescriptum can. 141 § 1 militiae* etc. — Can. 141 § 1 praecipit, ne clerici saecularem militiam voluntarii capessant, nisi cum

sui Ordinarii licentia, quae nonnisi ad hoc potest concedi, ut citius liberi evadant. Extra hos terminos, nomen sponte dare saeculari militiae, clericis et vetitum est, et, si officium ecclesiasticum habuerint, facto ipso eidem tacite renuntiasse censentur. Nec immerito: nam, uti supra innuimus (cfr. c. ad can. 141), Deo et saeculo simul servire non possumus.

7. *Habitum ecclesiasticum propria auctoritate* etc. — Quid significet habitum propria auctoritate deponere, supra diximus (cfr. c. ad can. 136 n. 6), sicut etiam deponere sine iusta causa (ibid. n. 3). Sed de causa iudicium ferre, non ad clericum, sed ad Ordinarium spectat: qui si clericum monuerit, iusta causa non suffragari praesumitur. Proinde elapso a monitione mense, neque habitu ecclesiastico resumpto, officium ipso facto vacat: non enim dignus est ecclesiastico officio, qui vel ipsam vestem clericalem abiecerit. Mensis autem est utilis, nam iusta causa quae primum deerat, semper, saltem per breve tempus, adesse potest.

8. *Residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit*, etc. — Agitur hic de residentia, ad quam clericus tenetur ratione officii (cfr. c. ad can. 143 n. 1). Haec semper continua est, at alio et alio modo, prout expostulat officii natura. Quare, si officio coniuncta non fuerit cura animarum, continuitas residentiae non est absoluta; contra, absoluta est, si animarum cura fuerit officio coniuncta: tum enim nullum est temporis momentum, quo officii exercitium intermittatur. Hinc illegitime residentiam deserit clericus, qui vacationes protrahit ultra tempus a iure statutum (cfr. can. 338 § 2, 354, 418, 465 § 2); parochus vero, cui immediata cura animarum spectat, illegitime quoque residentiam deserit si, tempore vacationum (sive eo continue sive intermisse fruatur) vicarium substitutum non reliquerit vel aliter necessitatibus fidelium non providerit (can. 465 § 4-6), imo si legitimam causam iure vacationum utendi non habuerit (ibid. § 4). Ceterum, de obligatione residentiae cum aliis officiis coniunctae, suis locis agemus. Itaque residentiae illegitima et contumax derelictio, ipso facto secumfert amissionem officii, si clericus, ab Ordinario monitus, eidem intra praedefinitum tempus nec paruerit nec responderit. Quod si, quamvis non paruerit, tamen responderit, et agatur de clerico beneficiario, tum ad normam can. 2170-2175 contra eum procedendum est. Evidens autem est ratio legis: officia ecclesiastica non eriguntur ad fovendum otium clericorum; quare, qui officium implere negligit, eo privari meretur.

Can. 189.

§ 1. *Superiores sine iusta et proportionata causa renuntiationes ne acceptent.*

§ 2. *Renuntiationem Ordinarius loci intra mensem vel admittat vel reiiciat.*

1. Canon ad Superiorem, cui renunciatio vel acceptanda vel reiicienda est, spectat. *Superiores sine iusta et proportionata causa* etc. — Illicitum est Superioribus acceptare renunciationes, quae causa iusta et proportionata non fulciantur. Causas canonicas sex supra enumeravimus (cfr. c. ad can. 184 n. 2): generatim vero, ut quis officio renuntiet, adesse debet ratio vera et indubia renuntiandi. Sed id minime sufficit, nam, cum officiorum ecclesiasticorum aliud sit alio praestantius, ratio seu causa renuntiandi oportet proportionata sit gravitati ac dignitati officiorum. Hinc Innocentius Pp. III renunciationem Archiepiscopi Calaritani, qui perfectioris, ut aiebat, vitae cupidus, solitudinem quaerebat, aperte reiecit: idque quia propositum perfectioris vitae non est causa proportionata renuntiandi officio episcopali (C. 10, X *de renunciat.* I, 9).

2. *Renuntiationem Ordinarius loci* etc. — Admissio vel reiectio renunciationum officiorum ecclesiasticorum vel ad Romanum Pontificem pertinet vel ad Ordinarios locorum vel ad Superiores religionum. Iam vero Romanus Pontifex iuri communi non subiicitur; religionum autem Superiores reguntur propriis constitutionibus ab Ap. Sede vel ab Ordinario loci probatis: restat igitur, ut ius statuat, quidnam temporis loci Ordinario concedatur ad renunciationem admittendam vel reiiciendam. Et conceditur a iure mensis, et quidem continuus: interest enim tum officii tum clerici renuntiantis, tempus esse breve, ne diu res anceps maneat. Mense elapso, renunciatio reiecta censetur.

Can. 190.

§ 1. *Officium, renuntiatione legitime facta et acceptata, vacat postquam renuntianti significata est acceptatio.*

§ 2. *Renuntians in officio permaneat donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit.*

Renunciatione legitime facta, idest facta ad normam can. 184-187 et a Superiore acceptata, officium non illico vacat, sed postquam acceptatio renuntianti significata est: nam renunciatio, idest unilateralis voluntatis

declaratio, perficitur quidem per acceptationem Superioris; tamen, quemadmodum renunciatio non censetur facta et potest retractari antequam Superiori praesentata fuerit, ita et acceptatio facta non censetur et retractari potest, antequam significetur renuntianti. Et exinde etiam sequitur, non posse clericum officium deserere, donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit. Certum nuntium: nempe notitiam moraliter certam, ut supra explicavimus (cfr. c. ad can. 162 n. 2).

Can. 191.

§ 1. *Semel legitime facta renuntiatione, non datur amplius poenitentiae locus, licet renuntians possit officium ex alio titulo consequi.*

§ 2. *Acceptata renuntiatio tempestive nota fiat iis qui aliquod ius in officii provisionem habent.*

1. Renunciatio illegitime fit (can. 184) ac illegitime acceptatur (can. 189 § 1) si iusta et proportionata causa desit. Hinc: *Semel legitime facta renuntiatione*, etc. — (quam proinde Superior acceptaturus praesumitur), non datur amplius poenitentiae locus: aderat enim iusta ratio renuntiandi, quae, ut ait Innocentius Pp. III, (c. 12, X *de renunciatione*, I, 9), *suasionibus aliquorum quaerentium quae sua sunt seu etiam levitate* elidi non debet. Cum vero legis fundamentum in perduratione iustae causae consistat, videtur, iusta causa cessante, posse renunciatio nondum acceptata legitime retractari. Postquam autem fuerit acceptata, eademque ratione, semper potest officium, quod ex titulo renunciationis amissum est, denuo obtineri ex titulo novae provisionis.

2. *Acceptata renuntiatio tempestive nota fiat* etc. — Esse possunt, qui ius habeant in provisionem officii vacantis: videlicet esse possunt, qui habeant ius ad idem officium clericum vel religiosum eligendi, praesentandi, nominandi. His, renunciationis acceptatio nota fieri debet a Superiore acceptante. Et quidem tempestive, idest quam primum, ne electio, quae intra trimestre (can. 161), praesentatio, quae intra quadrimestre (can. 1457), nominatio, quae ad normam variarum conventionum (cfr. can. 3) fieri debet, diu nimis protrahatur.

Can. 192.

§ 1. *Privatio officii incurritur sive ipso iure, sive ex facto legitimi Superioris.*

§ 2. *Si agatur de officio inamovibili, Ordinarius nequit clericum eodem privare, nisi mediante processu ad normam iuris.*

§ 3. *Si de amovibili, privatio decerni ab Ordinario potest ex qualibet*

iusta causa, prudenti eius arbitrio, etiam citra delictum, naturali aequitate servata, sed certum procedendi modum sequi minime tenetur, salvo canonum praescripto circa paroecias amovibiles; privatio tamen effectum non habet, nisi postquam fuerit a Superiore intimata; et ab Ordinarii decreto datur recursus ad Sedem Apostolicam, sed in devolutivo tantum.

1. Post ea, quae antea diximus (cfr. ad can. 183 n. 2), haud multa addenda hic sunt de poena privationis. *Privatio officii incurritur* etc. — Poena huiusmodi incurri potest tum *ab iure*, tum *ab homine*. A iure incurritur facto ipso delictuoso, cum nempe adsunt *extrema* delicti, cui a iure adnexa est. Idque, praeter casus qui in can. 188 n. 4-8 recensentur, contingit in quatuor casibus tantummodo, idest in excommunicatis vitandis (can. 2266), in retinente cum altero officio primum incompatibile (can. 2396), in promoto ad cardinalatum recusante emittere iusiurandum de adeundo Romano Pontifice intra annum (can. 2397), in promoto ad episcopatum, qui consecrationem intra semestre non receperit (can. 2398). Ceteris in casibus, poena privationis officii provenit *ab homine*, nempe ex facto legitimi Superioris.

2. *Si agatur de officio inamovibili, Ordinarius* etc. — Inamovibilia sunt ex. c. officia beneficialia quae in perpetuum conferentur (cfr. can. 1411 n. 4). Clericus officio inamovibili privari non potest, nisi propter delictum et ad normam iuris, idest per processum criminale ad normam can. 1933-1959 peractum. Potest tamen, citra delictum, ob causas can. 2147 recensitas, non quidem privari, sed ab officio amoveri per amotionem administrativam iuxta can. 2148-2156, bono communi id postulante. Quae disciplina introducta fuit per decr. *Maxima cura*, 20 aug. 1910 a S. Congr. Consistoriali latum. Quocirca eadem Congregatio ait: *Consideratum in primis est, finem decreti « Maxima cura » non alium esse quam faciliorem reddere amotionem curatorum animarum. Etenim in antiquiori disciplina nonnisi praevio processu, et idcirco diuturno studio et labore et vix ex causa criminali deturbari poterat parochus a beneficio quod in titulum assecutus fuerat. Ast legislator in decreto « Maxima cura », positis principiis, quod « salus animarum suprema lex est » et quod « parochi ministerium sit in Ecclesia constitutum non in commodum eius, cui committitur, sed in eorum salutem, pro quibus confertur », asseruit et sanxit etiam citra omnem parochi culpam, quoties eius ministerium inutile vel noxium evaserit, amoveri eum posse a paroecia: causas ad id requisitas rite assignavit, et promptum quendam procedendi modum instituit ut, salva iustitia et aequitate, res expediretur* (S. Congr. Consist. *Statuum Foederatorum Amer. septentr.* 28 iun. 1915, III). Quare clericus officium inamovibile obtinens, eo privari aut ab eo amoveri potest: privari potest in poenam delicti, amoveri potest extra delictum; semper tamen certa procedendi forma servari debet.

3. *Si de amovibili, privatio decerni* etc. — Aliter res se habet si de officio amovibili agatur: tum enim Superior, qui *ad nutum* contulit, *ad nutum* etiam generatim absque ulla processus forma potest clericum officio privari ex qualibet iusta causa, quamvis a iure expresse non statuta. Hinc S. Congr. Consistorialis: *Iamvero finis decreti* (scilicet *Maxima cura*) *apprime attingitur, si eius dispositiones applicentur iis qui paroecias in titulum possident, quorum amotio iuxta vetus ius difficilis evadebat: non attingitur autem, imo omnino subvertitur, si memoratae dispositiones applicentur iis, qui natura sunt amovibiles «ad nutum» Ordinarii. Nam in hoc casu amotio, quae per se facilis et expeditissima esset, difficilior et complicatior fieret.* (ibid.). Sive igitur propter delictum privatio, sive citra delictum amotio clerici ab officio amovibili decernenda fuerit, ad certum procedendi modum sequendum Ordinarius nulla generatim obligatione tenetur. Generatim: nam excipiuntur paroeciae amovibiles, quibus clericus potest quidem ob delictum privari independenter a sententia iudicis, sed a quibus citra delictum amoveri non potest, nisi servato modo procedendi a iure statuto (cfr. can. 2157-2161). Tum privatio, tum amotio effectum non habet, nisi postquam destituto clerico fuerit intimata (cfr. c. ad can. 190): nimirum, si privatio iudicialiter decernatur, intimatur per iudicis sententiam, quae publica est; alias, vel si de amotione agatur, per praeceptum vel decretum Superioris destituentis. Iam vero adversus sententiam iudicialem, ei, qui se gravatum putat, datur appellatio ad superiorem iudicem ad normam iuris (can. 1879). Omnis autem appellatio contra sententiam iudicis, si hunc vel illum casum excipias (cfr. can. 2243 § 1), est in suspensivo (can. 1889 § 2). Contra, adversus Superioris decretum vel praeceptum, datur recursus, religioso quidem ad supremum Moderatorem, clerico vero ad Ap. Sedem: sed recursus huiusmodi est in devolutivo tantum; ideoque destitutus potest illico compelli ad officium derelinquendum; in amotionibus tamen administrativis ab officio beneficiali, pendente recursu, Ordinarius officium alii stabiliter conferre nequit (can. 2146 § 3).

CAN. 193.

§ 1. *Translatio ab uno ad aliud officium ecclesiasticum ab eo tantum perfici potest, qui ius habet tum acceptandi renuntiationem, tum removendi a primo officio et promovendi ad alterum.*

§ 2. *Ad translationem, si de consensu clerici fiat, quaelibet iusta causa sufficit; si invito clerico, eadem fere causa requiritur idemque procedendi modus ac pro privatione, firmo praescripto can. 2162-2167, quod ad translationem attinet parochorum.*

1. Alius modus, quo officium ecclesiasticum potest amitti, in translatione consistit. Est autem translatio canonica mutatio clerici de uno in aliud officium ex iusta causa per legitimum Superiorem facta. Hinc canon statuit quinam Superiores clericum ab uno ad aliud officium transferre possint, et quibus de causis.

2. *Translatio ab uno ad aliud officium* etc. — Ut quis clericum possit transferre oportet ius habeat — 1°) eius renunciationem acceptandi; — 2°) eum a primo officio removendi atque ad alterum promovendi. Quod facile constabit. Nimirum, in primis translatio est mutatio clerici de uno in aliud officium. Quae quidem mutatio, aut consentiente clerico fit aut renuente: ea *voluntaria*, haec *necessaria* dicitur; et rursus ea acceptatae renunciationi, haec vero privationi seu remotioni aequiparatur. Ideoque is tantum transferre potest, qui potest et renunciationem acceptare et clericum ab eo officio removere. Sed neque id sufficit, nam oportet praeterea idem Superior possit clericum et ad alterum officium promovere. Quod per se patet: translatio enim utrumque terminum comprehendit. Itaque Superior, qui haec agere potest, legitimus censetur ad effectum translationis clericorum.

2. *Ad translationem, si de consensu* etc. — Quaelibet translatio ex iusta causa fieri debet, idest non sine ratione quae sit translationi proportionata, quaeque vel ad bonum publicum pertinet vel ad privatam clerici utilitatem. Et si clericus translationi consentiat, quaelibet causa sufficit: oportet nempe adsit vera, non fictitia, ratio transferendi. Tum enim nihil est odiosi in translatione, nihil quod ius alteri quaesitum laedat, cum iuri suo clericus sponte renuntiet. Eademque ratione nulla requiritur forma processus. At alia res est, si translatio fiat clerico invito: siquidem, debet tum clericus vi officio deiici. Vi autem nemo quaesito sibi iure deiicitur, sine causa gravi et forma processus non servata. Qua de processus forma supra egimus (cfr. comm. ad can. 192 n. 2 et 3). Et cum Codex peculiarem formam procedendi statuerit in translatione parochorum, haec adhiberi debet; neque praetermittendum, parochum inamovibilem et invitum non posse ab Ordinario transferri, nisi hic speciales facultates ab Ap. Sede obtinuerit (can. 2163 § 1).

Can. 194.

§ 1. *In translatione prius officium vacat cum clericus alterius possessionem canonice capit, nisi aliud a iure cautum sit vel a legitimo Superiore praescriptum.*

§ 2. *Reditus prioris officii translatus percipit, donec aliud occupaverit.*

1. *In translatione prius officium* etc. — Translatio iurium per possessionem perficitur, unde collatio officii perfecta non censetur, si in possessionem immissio facta non fuerit: ideoque tum solum prius officium vacat et potest alteri de iure conferri, cum clericus alterius possessionem canonice capit. Ad rem Bonifacius Pp. VIII per decretalem (c. 28 *de praeb. et dignitat.* III, 4 in VI) relatam inter fontes: *Licet episcopus beneficium, quod cum animarum cura tenebas, postquam aliud recepisti consimile ac ipsius possessionem pacificam habuisti, vel per te stetit quominus haberes eandem, possit alteri de iure conferre* etc. Quod tamen non est perpetuum, nam aliud a iure quandoque cavetur: ita ex. c. in translatione Episcoporum sedes episcopalis vacat, cum translatio Episcopo intimata fuerit (can. 430 § 1), idest antequam novae sedis canonicam possessionem capiat. Aliud etiam quandoque praescribitur a legitimo Superiore, nempe ab eo, qui ad translationem perficiendam legitimus Superior habetur. Quod si translatio ab Ap. Sede non perficiatur vel perficiatur a Superiore speciales facultates ab eadem non habente, patet nihil praescribi posse contra ius commune, canonicam possessionem requirens.

2. *Reditus prioris officii* etc. — Aequum est, tum cessare reditus, cum cessat ius ex quo proveniunt. Non autem in translationibus, ut supra vidimus, prius cessat ius officium habentis, quam alterius canonicam possessionem translatus clericus capiat, prius nempe quam alterum occupaverit: inde canonis praescriptum. Quare etiam, si prius officium, ex dispositione iuris vel ex praescripto legitimi Superioris, ante captam alterius possessionem vacaverit, tum a tempore huius vacationis reditus cessant. Sed neque id perpetuum est, cum ex. c. aliter a iure statuatur (can. 430 § 3 n. 3) de reditibus Episcoporum translatorum.

Can. 195.

Qui clericum ad officium elegerunt vel postulaverunt aut praesentaverunt, nequeunt eundem officio privare aut ab eo revocare seu amovere aut ad aliud transferre.

Canonis praescriptum ex iis, quae antea diximus (cfr. comm. ad can. 147), logice defluit. Quandoquidem, qui ad officium eligunt, po-

stulant, praesentant, nihil aliud faciunt quam personam designare; designata vero persona tum tantum et officium et adnexam potestatem consequi dicitur, cum accedit canonica provisio, idest confirmatio, admissio, institutio a legitimo Superiore ecclesiastico facta. *Omnis* autem *res, per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur* (c. 1, X *de reg. iur.* V, 41): proinde cum officium ecclesiasticum per actum legitimi Superioris acquiratur, sine actu Superioris eiusdem amitti non potest. Ceterum ius eligendi, postulandi, praesentandi, praesentatione, postulatione, electione peracta, omnino exhauritur.

TITULUS V.

DE POTESTATE ORDINARIA ET DELEGATA.

CAN. 196.

Potestas iurisdictionis seu regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia, alia est fori externi, alia fori interni, seu conscientiae, sive sacramentalis sive extra-sacramentalis.

1. *Potestas iurisdictionis seu regiminis* — Hoc et quatuordecim canonibus subsequentibus Legislator agit de potestate ecclesiastica, quae cum ecclesiasticis officiis, de quibus hactenus actum est, intime connectitur. Illum dicimus in nos potestatem habere, cui praecipienti parere tenemur: scilicet, ut D. Paulus animadvertit, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (Rom. XIII, 5). Oportet autem, uti *propter conscientiam* parere teneamur, praecipientem potestatem habere legitimam, atque ad normam iuris divini aut humani praecipere et servato ordine iurium: quod satis planum est. Hinc vero, cui ius est praecipiendi, ius quoque est cogendi reluctantes: alias enim potestas fere esset inutilis. Defluit autem origine potestas ex duplici fonte: ex iure divino vel ex hominis, qui se sponte subiecit, voluntate, veluti in Superiore religioso per votum obedientiae, in hero per contractum cum subditis initum. Haec semper privata est, alia modo privata modo publica: privata est ex. c. in parentibus, quibus liberi; publica est in Ecclesiae ac societatis civilis magistratibus, quibus subditi parere tenentur iure divino, tum naturali tum positivo. Canon loquitur de publica Ecclesiae potestate, quae etiam potestas iurisdictionis (1) seu regiminis appellatur.

(1) Alio sensu accipiebatur iurisdictionis potestas iure romano. Etenim iurisdictio contraponebatur factioni iuris: haec potestati legislativae aequiparabatur, quae prius populo, dein vero etiam senatui, postremo autem solis Imperatoribus com-

Est igitur in Ecclesia duplex potestas publica, iurisdictionis nempe et ordinis: per hanc, quae divinitus instituta sunt sacramenta, itemque quae ab Ecclesia introducta sacramentalia administrantur; per illam populus fidelis, omnibus modis qui, considerata rerum natura, adhiberi possunt, ad finem Ecclesiae praestitutum dirigitur. Sunt autem modi huiusmodi tres, iuxta triplicem statum quo ius reperiri potest: est enim in primis ius condendum, idque faciunt ecclesiastici Principes per potestatem legislativam; deinde potest conditum ius in casibus peculiaribus dubium apparere, ita ut legitime definiri oporteat, idque fit per potestatem iudiciariam; denique oportet ius non controversum aut definitum applicare, etiam per coactionem: hinc et in Ecclesia potestas executiva. Haec triplex potestas, ecclesiastica iurisdictione continetur. Est ergo ecclesiastica iurisdictio, si plenissime accipiatur: *Potestas publica regendi fideles, ut finem Ecclesiae supernaturalem consequantur.* Potestas privata, de qua supra diximus, *dominativa* nuncupatur.

Habes igitur in Titulo, qui summi momenti est, iurisdictio ecclesiastica quid sit et quemadmodum partiatur atque acquiratur; quomodo interpretanda sit; quomodo exerceatur, pereat ac deficiens suppleatur: denique quid sentiendum sit de potestate ordinis, quae iurisdictioni contraponitur.

2. *Quae ex divina institutione est in Ecclesia* — Potestas iurisdictionis est in Ecclesia ex iure divino, tum naturali tum praesertim positivo: naturali quidem, qua et societas perfecta est, et legitime constituta; positivo vero, ex expressa voluntate Christi Apostolos suos ita alloquentis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo* etc. (Matth. XXIII, 18): quare Ecclesia hac sacra potestate a suis primordiis semper usa est.

3. *Alia est fori externi, alia* etc. — In societate civili una est potestas, eaque respicit actus subditorum, qui extrinsecus apparent et probari possunt, ita, ut quae non possunt probari nec esse intelligantur. Idque necessario: nam potestas civilis utpote ad bonum hominum temporale ordinata, mediis supernaturalibus, quae ad conscientiam pertinent, uti non potest. Contra, Ecclesiae concreditum est depositum fidei, cuius finis, ut ait Apostolus (I Petr. I, 9), *salus est animarum.* Pertingit igitur sacra Ecclesiae potestas usque ad conscientias subditorum.

---

petebat; illa potestati iudiciariae, quae nonnullorum magistratuum propria erat, sed praesertim praetorum. Et quia potestas iudiciaria sine aliqua coactione non intelligitur, nec potestas coactiva sine iudicio, inde potestati iurisdictionis potestas imperii addebatur (imperium *mixtum*), sicut et imperio, in facinorosos homines exercendo, idest potestati gladii (imperium *merum*), aliqua semper iurisdictio continebatur (cfr. Eineccium *Elem. iur. civ.* § 1318-1322).

Hinc, uti canon habet, duplex est: alia enim directe spectat ad bonum singulorum, alia directe ad publicam utilitatem; haec fori externi, illa interni seu conscientiae vocatur, diciturque sacramentalis, vel extra-sacramentalis, prout solummodo in sacramento poenitentiae administrando vel etiam extra sacramentum adhiberi potest.

CAN. 197.

§ 1. *Potestas iurisdictionis ordinaria ea est quae ipso iure adnexa est officio; delegata, quae commissa est personae.*

§ 2. *Potestas ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.*

1. Publica iurisdictionis potestas, tum fori externi tum interni, aut est ordinaria aut delegata. *Ordinaria est quae ipso iure adnexa est officio* etc. — Si igitur officio ecclesiastico, idest stricte accepto (cfr. can. 145 § 2), atque ad normam iuris sive communis sive etiam particularis erecto, ipso eodem iure potestas iurisdictionis adnectatur, haec ordinaria est, eaque gaudet persona omnis, cui officium illud collatum fuerit: tum enim sacra potestas officio inhaeret. Contra, si potestas, non quidem a iure, sed ab homine; non quidem officio, sed personae, committatur, tunc potestas delegari dicitur, et, cum personae inhaereat, personam sequitur et cum persona cessat. Quid si potestas committatur quidem officio, sive stricto sive lato sensu accepto, non tamen a iure, sed ab homine? Tum potestas semper delegata censenda est, quamvis ad normam can. 207 § 1, uti postea videbimus, quandoque non cesset resoluto iure delegantis: cum enim a iure non defluat, potest semper a committente retractari, absque ulla immutatione iuris, per merum actum revocatorium. Officio vero lato sensu accepto coniungi non potest, neque a iure neque ab homine, iurisdictio ordinaria: etenim officium huiusmodi vel est iurisdictionis ecclesiasticae incapax, vel non est stabiliter constitutum (cfr. can. 145 § 1), ac proinde iurisdictioni ordinariae, quae per se perpetua est, inadaequatum.

2. *Potestas ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.* — Haec partitio ad solam ordinariam potestatem spectat. Potest nempe potestas ordinaria vel proprio vel alterius nomine exerceri. Ita Episcopus residentialis proprio nomine, Vicarius vero generalis, non suo, sed Episcopi nomine potestatem exercet: quare Episcopus propriam, Vicarius autem vicariam potestatem exercere dicitur. Haec tamen ordinaria est, nec eam potest Episcopus sua auctoritate coarctare, cum Vicario generali ex iure communi committatur.

Can. 198.

§ 1. *In iure nomine « Ordinarii » intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus « nullius » eorumque Vicarius generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine; pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis.*

§ 2. *Nomine autem « Ordinarii loci » seu « locorum » veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis.*

1. *In iure nomine Ordinarii* etc. — In Codice saepe reperiuntur voces *Ordinarius* vel *Ordinarius loci* aut *locorum* : Legislator hic authentice declarat, quidnam hoc nomine intelligendum sit. Et prius diligenter enumerat personas quae, vi officii, in iure veniunt generali nomine *Ordinarii*. Non igitur omnes, qui ordinariam potestatem habent, Ordinarii nomine veniunt: ita tum canonicus poenitentiarius, tum parochus ordinariam potestatem habent, et tamen in iure nomine Ordinarii non veniunt, cum nomen huiusmodi iis tantum in Codice reservetur, quibus competit potestas iurisdictionis ordinaria in foro externo. Sed neque isti semper veniunt Ordinarii nomine, veluti cum saepe quaedam potestas, quae ad Ordinarios spectare dicitur, praecluditur Vicario generali, vel etiam Vicario capitulari (cfr. Cod. passim): tum enim uterque *expresse excipitur* et nomine Ordinarii non venit.

2. *Pro suo quisque territorio* etc. — Codex prius recenset personas, quae in iure veniunt nomine Ordinarii propter iurisdictionem territorialem. Has inter, neque Curiam Romanam, neque Ap. Sedis Legatos reperimus, quamvis utrisque, praeter facultates delegatas, et ordinaria potestas in foro externo competat (cfr. can. 242-264 et can. 267).

3. *Itemque ii qui praedictis deficientibus* etc. — Potest Ordinarius territorialis deficere, sive ex eo quod eius ius resolvitur, sive ex eo quod eiusdem iuris exercitium impeditur: ii, qui tum succedunt in regimine, sive succedant ex praescripto iuris communis, sive legitimi iuris particularis, et ipsi veniunt in Codice Ordinarii nomine. Ita hoc nomine venit Vicarius, itemque vir ecclesiasticus cum potestate episcopali aut Vicarii capitularis constitutus, sede residentiali impedita (cfr. can. 429); vel etiam Pro-vicarius ac Pro-praefectus, itemque ecclesiasticus vir cum eadem fere potestate constitutus, sive a iure sive ab homine, impeditis aut vacantibus Vicariatu ac Praefectura apostolica (cfr. can. 309).

4. *Pro suis vero subditis Superiores maiores* etc. — Pro suis subdi-

tis: idest ubicumque terrarum commorentur. Nimirum, hic Legislator docet qui veniant nomine Ordinarii propter iurisdictionem personalem. Competit autem eiusmodi iurisdictio, vi votorum, quae personalia sunt, Superioribus maioribus religionum clericalium exemptarum; non ideo religionum laicalium Superioribus; neque clericalium, quae exemptionis privilegio non gaudeant: Superiores namque harum religionum, sive iuris dioecesani fuerint sive pontificii, nullam, qua tales, habent in foro externo potestatem iurisdictionis, sed ea quae ad eorum officium pertinent, omnia explent potestate dominativa.

5. *Nomine autem « Ordinarii loci »* etc. — Quoties nempe voces huiusmodi in Codice reperiuntur, intelligendi sunt ii tantum Ordinarii, qui iurisdictionem territorialem habent, non qui personalem.

CAN. 199.

§ 1. *Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare, nisi aliud expresse iure caveatur.*

§ 2. *Etiam potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita.*

§ 3. *Potestas delegata ad universitatem negotiorum ab eo qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem, potest in singulis casibus subdelegari.*

§ 4. *In aliis casibus potestas iurisdictionis delegata subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta, sed articulum aliquem non iurisdictionalem etiam sine expressa commissione iudices delegati possunt subdelegare.*

§ 5. *Nulla subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit.*

1. Nunc de modis, quibus acquiritur potestas ecclesiasticae iurisdictionis. Iam vero potestas ordinaria, cum ipso iure adnexa sit officio, simul cum officio ipso eodem iure acquiritur. Sed quid de potestate delegata? *Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam* etc. — Potestas delegata in primis oriri potest ex potestate ordinaria, idque ita, ut potestas ordinaria possit regulariter etiam universa delegari. Nec immerito: nam qui delegat potestatem huiusmodi, tribuit rem suam, cuius a iure plenum dominium habet. Non tamen semper: quandoque enim *aliud expresse iure cavetur*, iure, inquam, aut communi aut particulari, a quo potestas ordinaria procedit. Ita ex. c. iure communi expresse prohibetur canonicus poenitentiarius a sua potestate deleganda (cfr. can. 401), itemque, *a fortiori*, parochus aliique, qui loco parochi sunt:

siquidem Commissio ad Cod. can. auth. interpret., 16 oct. 1919, per declarationem authenticam canonis huius et 874 § 1 definivit, eiusmodi quoque personas ordinaria potestate gaudentes, perinde ac canonicum poenitentiarium *iurisdictionem ad confessiones audiendas* delegare non posse. Sed neque potest iurisdictio ordinaria ex toto et simul habitualiter delegari: id enim renunciationi merito aequipararetur: non autem potest quis officio renuntiare sine Superioris consensu.

2. *Etiam potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede* etc. — Ex potestate delegata, per se delegata potestas oriri non potest; delegatus namque non sua, sed alterius potestate gaudet: non autem potest quis tribuere quod suum non est. Totum igitur negotium positum est — 1°) in potestate delegantis, cuius utique *voluntas a potestate*, qua fruitur, *metitur* (S. Rota in *Recentior.* decis. 273, n. 26, part. 12); siquidem *facere unusquisque praesumitur, quod sibi facere licebat* (ibid. n. 17); — 2°) in tenore mandati, idest in voluntate delegantis, qui facultatem subdelegandi concedere potest aut minus: quod si taceat, non concessisse censetur. In primis ergo videndum est quidnam hac in re supremo Principi constituere placuerit. Et revera placuit Legislatori, publica utilitate suadente, potestatem iurisdictionis ab Ap. Sede delegatam subdelegari posse sive ad actum, idest una vice, sive habitualiter, idest omnibus vicibus, quibus, saltem intra determinatum tempus, casus unus aut plures obvenire possunt. Potestatem iurisdictionis: ideoque etiam ex toto, nisi, uti patet, electa fuerit expresse aut tacite industria personae (tum enim a persona ipsa agendum est) aut subdelegatio prohibita. Idque ea de causa, quod potestas ab Ap. Sede delegata quasi-ordinaria censetur, perinde ac si muneri adnexa esset iure communi; itemque propter eminentiam delegantis, qua, intra limites mandati, etiam delegatus Ap. Sedis nullum Superiorem agnoscit: utitur namque apostolica potestate.

3. *Potestas delegata ad universitatem negotiorum* etc. — Placuit etiam Legislatori, posse in singulis casibus (cfr. comment. ad can. 80 n. 1, vol. I) subdelegari potestatem, quae delegata fuerit ad universitatem negotiorum (1), ex. c. ad causas matrimoniales definiendas. Idque eadem fere ratione ac supra diximus: nam potestas ad universitatem negotiorum delegata ab eo, qui infra Rom. Pontificem habet ordinariam potestatem, et ipsa, quamvis ordinaria non sit, ad ordinariam tamen accedit.

4. *In aliis casibus* etc. — Cum non agitur de potestate a Rom. Pontifice vel ad universitatem negotiorum delegata (et *a fortiori*, cum agitur de subdelegata potestate), haec nunquam potest subdelegari, nisi

---

(1) Iure quoque romano distinguebatur potestas huiusmodi a potestate in singulis casibus tributa. Haec delegata, illa *mandata* potestas a commentatoribus dicta est (cfr. Reiffenstuel, *Ius can. univ.* lib. I. tit. 29 n. 13-17).

id expresse concedatur, nempe a delegante habente potestatem ordinariam, a cuius voluntate vis potestatis delegatae, utpote res facti, demetienda est. Excipiuntur articuli non iurisdictionales, videlicet in quibus peragendis nulla adhibenda est potestas iurisdictionis, veluti auditio testis, vel instrumenti cuiusdam transcriptio: actus enim huiusmodi, cum nullam potestatem iurisdictionis implicent, sunt quodammodo extra delegatam potestatem et a qualibet persona ex mandato delegati peragi possunt.

CAN. 200.

§ 1. *Potestas iurisdictionis ordinaria et ad universitatem negotiorum delegata, late interpretanda est; alia quaelibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem exerceri non potest.*

§ 2. *Ei, qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.*

1. Modo de interpretatione potestatis iurisdictionis. *Potestas iurisdictionis ordinaria* etc. — Iurisdictio non delegata ad universitatem negotiorum, etiamsi a Rom. Pontifice delegata fuerit, sicut alia quaelibet, puta per praescriptionem acquisita, stricte interpretanda est: videlicet non extenditur ad casus et personas non expressas, quamvis eadem sit ratio aut casus similis. Ex adverso iurisdictio ordinaria vel quae fuerit ad universitatem negotiorum delegata, est late interpretanda. Idque ex eo, quod haec favorabilis, illa odiosa censeatur: siquidem, iurisdictio ordinaria defluit ex iure, daturque ad publicam utilitatem subditorum; oportet igitur quam amplissime exerceatur. Eodemque fere iure censetur iurisdictio delegata ad universitatem negotiorum: nam et haec, uti supra innuimus, quamvis ordinaria non sit, tamen ad ordinariam proxime eccedit, eaque fruens tanquam ordinarius aditur; dum, contra, quaelibet alia iurisdictio, sive delegata, sive praesertim per praescriptionem quaesita, derogat ordinariae estque ei praeiudicialis, vulnerat quodammodo ius, a quo ordinaria directe procedit, est veluti quaedam contra communem legem exceptio (cfr. can. 19).

2. *Cui tamen delegata potestas* etc. — Legislator hic refert fere ad verbum regulam iuris romani, quae ita traditur a Iavoleno (fr. 2 D. I, 22): *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit.* Hinc ex. c. in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae (can. 66 § 3); generaliter vero quidquid ius ad exercitium potestatis delegatae requirat et delegantis potestatem non excedat, cum potestate delegata concessum intelligitur. *Unde translata etiam censetur modica*

coërctio, hoc est potestas plectendi et coërcendi inobedientes et contumaces (S. Rota in *Recentior.* decis. 253 n. 2 et seqq. p. 6), *quia sine aliqua coërctione est inutilis* (ibid. decis. 265 n. 32 p. 5 t. I). Breviter: delegans, qui rationabiliter agere semper praesumitur, cum finem velit, media quoque omnia tribuisse censetur, quae ad finem consequendum necessaria sunt.

2. *Ei qui delegatum se asserit* etc. — Delegatio potestatis res facti est, non iuris, ideoque probari debet: facta enim non praesumuntur. Contra, potestas ordinaria, cum vi officii committatur a iure, semper praesumitur donec aliud probetur. Ad rem Ulpianus (fr. 5 D. V, 1): *Praetoris est aestimare an sua sit iurisdictio, vocati autem non contemnere auctoritatem praetoris.* Quare vocatus ab habente potestatem ordinariam, si dubitatur de iure vocantis, venire debet et exceptionem, si quae sit, proponere; vocatus vero ab habente potestatem delegatam, in dubio venire non tenetur, donec delegatus iurisdictionem suam probaverit (cfr. Reiffenstuel, *Ius can. univ.* l. I tit. 29 n. 44). Itemque Superior, cui subsunt personae, delegati iurisdictioni subiectae, nisi litterae delegationis exhibeantur, potest delegato resistere.

Can. 201.

§ 1. *Potestas iurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri.*

§ 2. *Iudicialis potestas tam ordinaria quam delegata exerceri nequit in proprium commodum aut extra territorium, salvis praescriptis can. 401 § 1, 881 § 2 et 1637.*

§ 3. *Nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, potestatem iurisdictionis voluntariam seu non-iudicialem quis exercere potest etiam in proprium comodum, aut extra territorium existens, aut in subditum e territorio absentem.*

1. Veniamus ad exponendos canones sex, qui agunt de exercitio potestatis iurisdictionis. *Potestas iurisdictionis potest* etc. — Potestas aut directe aut indirecte exercetur, directe quidem in personam, quam potestas respicit ratione sui, veluti cum parochus inidoneus beneficio amovetur; indirecte vero in personam, quam potestas respicit ratione alterius in quem directe exercetur, veluti cum, partibus proponentibus, testis extraneus inducitur; vel ratione alicuius circumstantiae obvenientis, qua extraneus territorio quodammodo precarie devincitur, veluti peregrinus, commorationis vel patrati delicti causa. Potestas iurisdictionis nonnisi in subditos directe exercetur; qui subditi non sunt, parere non tenentur: non enim quis tenetur parere nisi Superiori. Indi-

recte vero exercetur iurisdictio in quascumque personas baptizatas, idque ex praescripto iuris communis, publica utilitate id postulante.

2. *Iudicialis potestas tam ordinaria* etc. — Iurisdictio ecclesiastica, tum ordinaria tum delegata, aut iudicialis est aut non-iudicialis. Haec voluntaria dicitur, desumpto nomine ex iure romano, at significatione leviter immutata. *Iurisdictio*, ait Heineccius (*Elem. iur. cir.* § 1323), *vel voluntaria est vel contentiosa. Illa inter volentes exercetur : uti adoptio, manumissio, emancipatio*; *haec etiam inter invitos cum causae cognitione, uti omnes actiones. Illa a quocumque magistratu exerceri poterat, dummodo apud eum esset legis actio ; haec a iudice tantum competente. Illa etiam diebus feriatis, imo in causa propria exercetur ; in hac omnia secus se habent.* Voluntaria igitur dicebatur iure romano iurisdictio, quam magistratus exercebant in volentes, cum nempe nemo contradicebat; ex adverso dicebatur contentiosa, quae in invitos quoque et contradicentes, veluti in reum, exercebatur. Sed ab his significationibus Codex noster nonnihil discessisse videtur. Quare enim potius quam de *contentiosa*, de potestate *iudiciali* loquitur? Quare postea, cum loquitur de potestate *voluntaria*, verbum non novum declarat et addit: *seu non-iudicialem*? Ni fallor, Legislatori nostro quaevis iurisdictio, quae forma ac strepitu iudiciali non exerceatur, voluntaria est, etiamsi exerceatur in invitum, veluti ex. c. contingere potest in amotione non-iudiciali clericorum. Differunt vero haud parum inter se potestas iudicialis et non-iudicialis. Etenim, ut cetera praetermittamus, illa neque in proprium commodum, neque extra territorium, pro quo commissa est, exerceri potest. Non in proprium commodum: nam una eademque persona esse nequit iudex et reus; non extra territorium: ad hanc namque potestatem exercendam debet iudex pro tribunali sedere requiriturque strepitus forensis, quod sine iniuria iudicis territorialis non fieret. Unde iure receptum est, invalide tum iurisdictionem exerceri, et qui ius ita dicenti non paret, id facere impune, iuxta regulam: *Extra territorium ius dicenti impune non paretur* (fr. 20 D. II, 1).

3. *Salvis praescriptis can. 401* § 1 etc. — Nempe: ad normam can. 401 § 1, potest canonicus poenitentiarius, vi iuris communis, absolvere, etiam a peccatis et censuris Episcopo reservatis, tum extraneos (qui nempe, cum subditi essent, forte contraxerint) in dioecesi, tum eos qui sunt suo tribunali subiecti, idest dioecesanos, extra dioecesim; ad normam vero can. 881 § 2, generaliter qui ordinariam habent absolvendi potestatem, et ideo etiam parochi et qui loco sunt parochorum, possunt subditos absolvere ubique terrarum; denique ad normam can. 1637, iudex e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, loci Ordinario certiore facto. Potestas absolvendi est utique iudicialis, sicut etiam potestas, de qua in can. 1637 : agitur

proinde de exceptionibus adversus praescriptum canonis, quem exponimus, iure communi introductis. Tamen duae priores forum tantum internum respiciunt: hoc est privatim tum potestas exercetur, nulla iudicis territorialis iniuria; tertia vero ob necessitatem, publico bono id exigente, introducta est.

4. *Nisi aliud ex rerum natura* etc. — Modo de potestate non-iudiciali: hanc exercere quis potest tum in proprium commodum, tum extra territorium aut etiam in subditum e territorio absentem. Ita ex. c. qui potest subditos in lege dispensare, potest et id facere extra suum territorium existens, et dispensare semetipsum, vel subditum absentem qui lege aliqua personali adstrictus sit. Haec tamen, dummodo aliud ex rerum natura aut ex iure non constet. Aliud vero ex. c. iure constat ex can. 1437, per quem nemo potest sibimetipsi beneficium conferre; ex can. 337 § 1, per quem prohibetur Ordinarius extra suum territorium ea sacramenta conferre, quae requirunt usum pontificalium. Aliud vero natura constat ex. c. quoad absolutionem a censuris, quoad collationem sacramentorum aut sacramentalium: haec namque (quae sunt quidem potestatis ordinis, sed a iurisdictione dependent) neque in proprium commodum, neque in absentem subditum fieri possunt.

Can. 202.

§ 1. *Actus potestatis iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae collatae pro foro externo, valet quoque pro interno, non autem e converso.*

§ 2. *Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali, nisi sacramentale exigatur.*

§ 3. *Si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet.*

1. *Actus potestatis iurisdictionis* etc. — In foro interno, quae conscientiae sunt, agitantur; in foro externo quae vitae exterioris fidelium. Quare illic nulla unquam probatio necessaria est: omnia enim aguntur coram Deo, cuius est scrutari intima cordium; hic existere non censetur, nisi quod apparet aut probari potest: nam omnia aguntur coram hominibus, quorum cognitio ad cordium intima non pertingit. Hinc patet sententia canonis: actus potestatis collatae pro foro externo aut ita ponitur, ut fidem faciat, id est instrumento vel testibus interpositis, aut tanquam infectus habendus est; cum igitur valet, valet pro utroque foro: contra, actus potestatis collatae pro foro interno tantum, cum neque extrinsecus appareat neque possit probari, valere non potest nisi coram Deo.

2. *Potestas collata pro foro interno* etc. — Ad exercitium potestatis collatae pro foro interno quandoque forum sacramentale exigitur, quandoque vero non exigitur (cfr. comm. ad can. 196): ita exigitur ex. c. cum, urgente periculo mortis, confessarius super impedimentis matrimonialibus dispensat ad normam can. 1043 et 1044. Quod cum non exigitur, quia potestas pro foro interno collata ad sacramentale simul et extra-sacramentale se extendit, patet et in illo tantum exerceri posse.

3. *Si forum, pro quo potestas* etc. — Sententia canonis clara, eique parere debent Ordinarii Rom. Pontifice inferiores. Ex ipsa autem rei natura aliud constat, cum ex. c. agitur de potestate absolvendi a peccatis, quae nonnisi in foro interno, et quidem sacramentali potest exerceri.

Can. 203.

§ 1. *Delegatus qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit.*

§ 2. *Hos tamen excessisse non intelligitur delegatus, qui alio modo ac deleganti placuerit, ea ad quae delegatus est peragit, nisi modus ipse fuerit a delegante praescriptus tanquam conditio.*

1. *Delegatus qui sive circa res* etc. — Tota delegati potestas continetur mandato delegantis, nam delegatus, qua talis, nullam habet potestatem, secus necessaria non esset delegatio. Haec ratio praescripti § 1 canonis: si enim delegatus mandati sui fines excedit, id facit arrogans sibi potestatem quam non habet, idest sine potestate agit, ideoque nihil agit. Tamen hoc non contingit, nisi laesa fuerit substantia mandati, huius nempe fines excedendo, sive circa res (nempe circa negotia per mandatum commissa) sive circa personas quae, vi mandati, subsunt iurisdictioni delegati.

2. *Hos tamen excessisse non intelligitur* etc. — Modus, de quo in hac parte canonis, est ordo procedendi. Hic potest a delegante praescribi aut non praescribi. Sed etiamsi praescribatur, nihilminus delegatus aliter agere potest et substantia mandati non laeditur. Contra, laeditur, si servatus non fuerit modus a delegante praescriptus tanquam conditio, nempe per particulam *dummodo* vel aliam aequipollentem (cfr. can. 39). Et ratio posita est in iis, quae antea diximus: tota potestas delegati ex mandati tenore pendet; quare, si egerit contra substantiam mandati delegatus nihil agit: conditio vero adiecta, cum sit evidentissima imo natura sua irritans manifestatio voluntatis, ad mandati substantiam pertinere manifestum est. Non item, si modus procedendi nequaquam fuerit a delegante praescriptus tanquam conditio: parum enim refert, dummodo serventur generalia praescripta iuris, hoc an illo modo delegatus finem mandati consequatur.

Can. 204.

§ 1. *Quod quis Superiorem adit, inferiore praetermisso, non idcirco voluntaria suspenditur inferioris potestas, sive haec ordinaria fuerit sive delegata.*

§ 2. *Attamen rei ad Superiorem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; et hoc in casu statim Superiorem de re moneat.*

1. *Quod quis Superiorem adit* etc. — Recursus contra actum potestatis voluntariae et appellatio contra sententiam iudicialem habenda sunt tanquam iuris praesidium, quod legibus tum ecclesiasticis tum civilibus semper admittitur. Est tamen differentia inter recursum et appellationem: ille semper est in devolutivo haec, cum a iure conceditur (cfr. can. 1880), semper in suspensivo. Si rationem differentiae quaeras, in natura utriusque potestatis reperies: siquidem, dum est potestatis iudiciariae ius controversum definire, voluntariae potestatis est praecipere, vetare, permittere ad normam iuris; sed, appellatione interposita, iudicialis definitio iuris nondum perfecta censetur, dum, contra, praesumitur Superior ad normam iuris egisse, usque quo contrarium non probetur.

2. *Attamen rei ad Superiorem delatae* etc. — Quod iudicium de existentia causae gravis et urgentis, ad Superiorem utique pertinet.

Can. 205.

§ 1. *Si plures iurisdictionem delegatam obtineant pro eodem negotio, et dubitetur utrum delegatio facta fuerit in solidum an collegialiter, praesumitur facta in solidum in re voluntaria, collegialiter in re iudiciali.*

§ 2. *Pluribus in solidum delegatis, qui antea negotium occupavit, alios ab eodem excludit, nisi aut postea impediatur aut nolit ulterius in negotio procedere.*

§ 3. *Pluribus collegialiter delegatis, omnes simul pro actorum validitate in negotio expediendo procedere debent, nisi in mandato aliud cautum sit.*

1. *Si plures iurisdictionem delegatam obtineant.* — Iurisdictio uni vel pluribus simul delegari potest: quamvis enim sit in se indivisibilis, divisibilis tamen est quoad exercitium. Ceterum et pluribus delegata, exercetur semper ad modum unius. Nimirum, iurisdictio pluribus simul delegatur vel collegialiter vel in solidum: si collegialiter, censetur delegata collegio minime vero singulis; si in solidum, et omni-

bus etsingulis delegata censetur, ita ut et in singulis et in omnibus tota resideat. Quare, si, ut ait canon, dubitetur, qua ratione delegata fuerit, iurisdictio, usquedum contrarium non probetur, praesumitur facta in solidum in re voluntaria (id est in negotio ordine non-iudiciali definiendo), collegialiter vero in re iudiciali. Quae iuris praesumptio innititur et ipsa natura potestatis delegatae: est namque potestatis voluntariae liberius et expeditius exerceri.

2. *Pluribus in solidum delegatis* etc. — Cum iurisdictio pluribus delegatur in solidum, datur praeventio; videlicet delegatus, qui antea negotium occupaverit, alios ab eo quod occupavit, excludit: est enim in eo, sicut in ceteris, tota iurisdictio, nempe ad negotium expediendum sufficiens, quae postquam exerceri coepit, turbari non potest. Nisi tamen, postquam occupavit, aut impediatur aut ulterius procedere nolit. Impeditur quis vi, metu, infirmitate, temporis inclementia vel alia de causa extra eius voluntatem posita; non vult voluntate sua, et hoc in casu puniendus est delegatus inobediens: utrinque vero causa detrimentum capere non oportet, et alius delegatorum in solidum potest negotium occupare.

3. *Pluribus collegialiter delegatis* etc. — Cum iurisdictio tum, non ad singulos, sed ad collegium tantum pertineat, patet, agere valide non posse nisi collegium: tum enim quod a singulis fit, sine potestate fit ac proinde invalide. Potest tamen Superior per mandatum praecipere, ut ex. c. negotium ab omnibus vel *a tribus* expediatur: et tunc, si iusta de causa ab omnibus negotium expediri non possit, a tribus valide et licite definitur. Tum enim in mandato *aliud cautum est*, uti canon loquitur.

CAN. 206.

Pluribus successive delegatis, ille negotium expedire debet cuius mandatum anterius est nec posteriore rescripto expresse abrogatum fuit.

Plures, nedum simultanee, sed successive quoque delegari possunt; idque vel inadvertentia vel expressa voluntate delegantis: possunt enim rationes extare, quibus opportunum videatur priorem delegatum potestate deiicere. Quod tamen factum non censetur, nisi in posteriore delegationis rescripto expresse appareat: secus, valet prius rescriptum, et alterum censetur per inadvertentiam concessum. Tota enim quaestio in voluntate delegantis posita est: haec, semel manifestata, perdurare censetur quousque contrarium probari non possit. Non autem potest probari, nisi rescriptum prius a posteriore expresse abrogatum fuerit. Expresse: ideo, nedum alium delegando (quod factum semper supponitur, cum agitur de successive delegatis), neque per solam clausulam

generalem *non obstantibus quibuscumque*, verum etiam mentione facta de priore delegato atque de translatione potestatis in alterum. Breviter, ut ait canon, rescriptum prius expresse abrogatum sit oportet, idest totaliter sublatum: non autem aliud est in casu quod expresse tollatur, nisi persona delegati, cum negotium idem perseveret; sed haec expresse e medio non tollitur, nisi expressis verbis eidem altera substituatur (cfr. etiam comm. ad can. 48, vol. I pag. 134). Et hoc sensu, hic quoque *qui prior est tempore potior est iure* (Reg. 54 R. J. in VI).

Can. 207.

§ 1. *Potestas delegata extinguitur, expleto mandato; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata, non autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61.*

§ 2. *Sed potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est.*

§ 3. *Pluribus collegialiter delegatis, si unus deficiat, aliorum quoque delegatio expirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet.*

1. Hoc et subsequente canone Legislator agit de cessatione potestatis iurisdictionis; et prius de potestate delegata. *Potestas delegata extinguitur* etc. — Potestas delegata extingui potest per factum delegantis aut delegati aut mandati. — 1) Extingui potest per factum delegantis, si delegatio ab eo revocetur vel si eius ius obitu, translatione, renunciatione, privatione resolvatur. Veruntamen revocata non censetur, nisi revocatio fuerit delegato directe intimata; directe, idest ipsi personae delegati: nimirum ratum est quod facit, donec ei de revocatione constiterit. Siquidem, *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* (c. 1 *de reg. iur.* V, 41). Per resolutionem vero iuris delegantis, nonnisi in duobus casibus extinguitur potestas delegata: a) cum id ex additis mandato clausulis apparet (cfr. can. 61), veluti si potestas concedatur *ad beneplacitum* delegantis, aut donec hic *voluerit*: eius namque iure resoluto, neque beneplacitum neque legitima voluntas amplius intelliguntur; b) cum per mandatum potestas fit aliquam gratiam concedendi peculiaribus personis in eodem expressis et res adhuc est integra (ibid.) Et quare id iure caveatur, exposuimus in comm. ad can. 61 (vol. I pag. 149). — 2). Deinde extinguitur potestas delegata per factum ipsius delegati, nempe si hic potestati renuntiaverit et renunciatio personae delegantis intimata fuerit ab eoque acceptata. Intimari debet, quia debet acceptari; acceptari vero debet,

quia se nemo potest munere, quod ex alterius voluntate habet, sine eius voluntate abdicare. — 3) Denique extinguitur potestas delegata per factum mandati, videlicet si mandatum fuerit expletum vel, quod in idem redit, si exhaustus fuerit numerus casuum pro quo potestas concessa erat. Idque clarum. Sed praeterea extinguitur, cessante causa finali mandati seu delegationis. Est causa finalis, sicut ceterarum rerum, *anima* mandati: quare, si certe ac totaliter finis deficiat, et mandatum cessat, quia inutile prorsus; et cum mandato cessat quoque delegata potestas, quae per mandatum attributa erat. Ita, si ex circumstantiis obvenientibus, non amplius dispensatio, ad quam concedendam potestas delegata erat, requiratur, causa finali cessante, cessat quoque potestas delegata.

2. Sed quid dicendum de subdelegata potestate? Imprimis certum est, eam semper cessare in subdelegato cum in subdelegante cessat: tota enim vis subdelegationis vi delegationis innititur. Sed insuper cessat omnibus modis quibus cessat in delegato. Non tamen videtur posse potestas subdelegata a subdelegante revocari, re non integra, nisi partem sibi iurisdictionis reservaverit: si namque universam potestatem sibi delegatam tradiderit, et haec, executione incepta, efficaciter iam in exercitium transierit, quod revocetur amplius non est. (cfr. Reiffenstuel, *Ius can. unir.* lib. II tit. 29 n. 136-140). Contra, delegans quocumque temporis momento, etiam re non integra, tributam potestatem revocare potest: cum enim eius potestas ordinaria sit, nullimode per delegationem minuitur. Idque confirmari videtur ex tenore can. 54.

3. *Sed potestate pro foro interno concessa* etc. — Agitur de potestate pro foro interno concessa, sive pro sacramentali sive pro extra-sacramentali, sive pro utroque. Agitur praeterea de potestate, quae extincta sit non alia de causa, quam quod elapsum sit tempus aut numerus casuum, quos potestas comprehendebat, exhaustum. Cum igitur huiusmodi circumstantiae extant, actus per inadvertentiam positus validus est ex prorogatione potestatis iure communi facta. Et cum Legislator loquitur de actu, non profecto de uno actu loqui videtur, sed de pluribus quoque, qui per inadvertentiam positi sint: haec enim prorogatio potestatis conceditur a iure, publicae utilitatis habita ratione, et praesertim quia circumstantiae huiusmodi facile obveniunt; si autem potestatis prorogatio ad unum tantummodo actum extenderetur, non sufficienter esset publicae utilitati consultum.

4. *Pluribus collegialiter delegatis* etc. — Delegatus deficere dicitur, cum ius eius quacumque de causa, veluti per mortem vel incursam censuram, resolvitur. Cum ergo, ex pluribus collegialiter delegatis, unus deficit, aliorum quoque delegatio expirat. Etenim semper vera est sententia Celsi (fr. 39 D. XLII, 1): *Duo ex tribus iudicibus uno absente*

iudicare non possunt, quippe omnes iudicare iussi sunt. Omnes iudicare iussi sunt; omnibus, non singulis, potestas tradita est: sunt namque collegialiter delegati.

Can. 208.

Ad normam can. 183 § 2, potestas ordinaria non extinguitur resoluto iure concedentis officium cui adnexa est; sed cessat amisso officio; silet legitima appellatione interposita, nisi forte appellatio sit tantum in devolutivo, firmo praescripto can. 2264, 2284.

1. Canone praecedenti descripti sunt modi, quibus extinguitur potestas delegata; nunc de potestate ordinaria erat agendum. *Ad normam* etc. — Can. 183 § 2 haec statuit: *Resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerat concessum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi lex aliud caveat aut nisi in concessione habeatur clausula: « ad beneplacitum nostrum » vel alia aequipollens.* Ita ex. c. lex cavet officium Vicarii generalis amitti, iure Episcopi resoluto (can. 371). Extra casus huiusmodi, potestas ordinaria non extinguitur, resoluto iure officium concedentis: est enim officium ecclesiasticum, stricte sumptum, per se perpetuum (cfr. can. 145); potestas autem ordinaria ipso iure (quod per se etiam perpetuum est) officio adnexa erat (can. 197 § 1), ideoque officium perpetuo sequitur, et per officium personam officium habentem. Eademque ratione cessat amisso officio, idest tunc personae, quae ab officio disungitur, perit.

2. *Silet legitima appellatione interposita* etc. — Potestas silere dicitur, cum, quamvis extincta non sit, tamen exerceri non potest, iure prohibente. Idque accidit quandoque ex interposita legitima appellatione seu recursu, cum nempe appellatio est in suspensivo (cfr. comm. ad can. 204): appellatio enim huiusmodi, potestatem inferioris Ordinarii prorsus suspendit.

3. *Firmo praescripto* etc. — Silet quoque potestas iurisdictionis, si is, qui potestatem habet, fuerit excommunicatus (can. 2264), vel ab actibus, qui iurisdictionem requirunt, suspensus (can. 2284): tum namque iurisdictionis exercitium semper est illicitum, nisi a fidelibus petitum fuerit; sed praeterea etiam invalidum, excepto mortis articulo, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria censurae. Idque quia, quamvis nulla humana potestas possit tollere aut minuere potestatem ordinis, dispositione tamen iuris, ad scandalum fidelium vitandum atque ad frangendam contumaciam delinquentis, plus minusve coarctatur potestas iurisdictionis.

CAN. 209.

In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno.

1. Aliud est prorogare, aliud supplere iurisdictionem: prorogatur iurisdictio quae est, suppletur quae non est; prorogatur iurisdictio, qua quis utitur per inadvertentiam et in foro interno tantum (can. 207 § 2), suppletur pro utroque foro iurisdictio, quam, utrum adhuc habeat an non, quis positive et probabiliter dubitat; vel quam sibi periisse quis certus est, cum ex adverso subditi contrarium communiter teneant.

2. *In errore communi* etc. — Ut igitur non existentem iurisdictionem Ecclesia supplere censeatur, et extare debeaut error communis aut dubium positivum ac probabile facti vel iuris(1). Error communis extare dicitur, si in eo loco, ubi aliquis iurisdictionem exercet, eoque tempore quo exercet, ea praeditus esse publice existimetur. Dubium iuris aut facti, positivum aut negativum quid sit, iam exposuimus (cfr. comm. ad can. 15, vol. I pag. 42). Porro dubium positivum, sive iuris sive facti, circa iurisdictionem, sicut circa legem, plus minusve probabile esse potest: plus quam probabile est, seu probabilior, cum ratio negativa dubitandi adest quidem, sed adeo est exigna, ut fere certum sit potestatem iurisdictionis tum suffragari: et dubium huiusmodi non est necessarium, ut censeatur iurisdictio ab Ecclesia suppleri; minus quam probabile dubium est, cum ratio negativa dubitandi

---

(1) Conceptus iurisdictionis iure supplendae iam apud romanos iurisconsultos reperitur. Narrat enim Ulpianus (fr. 3 D. I, 14): *Barbarius Philippus, cum servus fugitivus esset, Romae praeturam petiit et praetor designatus est.* Et subiungit: *Sed nihil ei servitutem obstetisse ait Pomponius, quasi praetor non fuerit: atquin verum est praetura eum functum. Et tamen videamus: si servus, quandiu latuit, dignitate praetoria functus sit, quid dicemus? Quae edixit, quae decrevit, nullius fore momenti? An fore propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt, vel lege vel quo alio iure? Et verum puto nihil eorum reprobari.* Putat ergo Ulpianus omnia, quae Barbarius Philippus egerat auctoritate praetoria, rata esse, quamvis, propter notam servitutis, incapax esset praetoriae iurisdictionis: idque quia lex vel auctoritas Principis, postulante publico bono, censentur tum defectum iurisdictionis supplere. Postea vero conceptus huiusmodi in ius nostrum receptus est. Sed duplex fuit sententia canonistarum. Quidam enim putaverunt errorem communem sufficere. *Quos sequor*, ait D'Annibale noster (*Summula* I, n. 79). Alii censuerunt id non sufficere, sed suffragari debere et titulus *coloratus*: quo nomine appellabant titulum potestatis, qui specie tenus legitimus videretur. Codex noster ad genuinum conceptum iuris romani de sufficentia communis erroris reversus est.

adeo est vehemens, ut fere certum sit minime tum suffragari iurisdictionis potestatem: et huiusmodi dubium insufficiens est, ut iurisdictio ab Ecclesia suppleri censeatur; denique dubium est simpliciter *probabile*, ut habet canon, cum ratio negativa dubitandi eiusdem fere ponderis est ac ratio positiva: et dubium huiusmodi et necessarium est et sufficiens, ut censeatur Ecclesia iurisdictionem, quae fortasse defecerit, supplere.

Can. 210.

Potestas ordinis, a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae, nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum.

Alio atque alio modo demandatur potestas ordinis et iurisdictionis. In utraque enim duo distinguenda sunt: ipsa potestas eiusque exercitium. Cum demandatur iurisdictio, et potestatis exercitium demandatur et potestas ipsa; contra, cum agitur de potestate ordinis, demandatur exercitium tantum, idest facultas ordinem iam susceptum exercendi in personas vel loca, ad quae non pertingebat; ipsa vero potestas demandari non potest: est namque strictissime personalis natura sua. Imo, ex sententia canonis, ne exercitium quidem potest demandari, nisi id iure fuerit vel indulto expresse concessum. Ita expresse iure Episcopis facultas conceditur, ordinandi, si impediti fuerint (cfr. can. 955 § 2), subditos suos per alium Episcopum, litteris dimissoriis (qui delegationi aequipollent) in hunc finem ad eundem datis (can. 958). Adimitur igitur personis ecclesiasticis universis facultas potestatem ordinis tum ordinariam tum delegatam demandandi, exceptis casibus, in quibus id fuerit iure communi vel indulto apostolico expresse permissum. Et quia exercitium huiusce potestatis ad iurisdictionem pertinet, hoc canone adversus ea, quae antea statuta sunt, exceptio amplissima continetur.

TITULUS VI.
DE REDUCTIONE CLERICORUM AD STATUM LAICALEM.

CAN. 211.

§ 1. *Etsi sacra ordinatio, semel valide recepta, nunquam irrita fiat, clericus tamen maior ad statum laicalem redigitur rescripto Sanctae Sedis, decreto vel sententia ad normam can. 214, demum poena degradationis.*

§ 2. *Clericus minor ad statum laicalem regreditur, non solum ipso facto ob causas in iure descriptas, sed etiam sua ipsius voluntate, praemonito loci Ordinario, aut eiusdem Ordinarii decreto iusta de causa lato, si nempe Ordinarius, omnibus perpensis, prudenter iudicaverit clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri.*

1. Hanc Sectionem, qua agit de clericis in genere, Legislator incepit docendo quemadmodum laicus clericus fiat; modo, uti postulat recta ratio dicendorum, tractationem absolvit docendo quemadmodum clericus ad statum laicalem reducatur. *Etsi sacra ordinatio* etc. — Sacra ordinatio ab adultis valide recipitur, cum recipitur ab habente potestatem eam conferendi, cum adest capacitas iuridica eam recipiendi, demum cum voluntarie recipitur ac servata forma iure divino aut ecclesiastico statuta. Semel vero valide recepta, sacra ordinatio nunquam irrita fit, idque si agatur de ordine episcopali, presbyterali, diaconali, iure divino: alias, ecclesiastico tantum. Quare, de ordine presbyterali Conc. Tridentinum (Sess. XXIII can. 4) ait: *Si quis dixerit ... eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, a. s.* Non posse vero, ordinationem subdiaconalem aliasque ad minores ordines pertinentes et ipsas irritas fieri, id accidit, quia ordinationes huiusmodi Ecclesia, ut ait Gasparri (*De sacra ordinat.* n. 41) *instituit ad instar ordinationum iuris divini:* non igitur quia Ecclesia irritare nequeat, sed quia irritare non vult. Tamen nihilominus clericus ordinatus ad statum laicalem reduci potest. At alio et alio modo, prout maiorem vel minorem tantum ordinem susceperit. Et primum de clericis maioribus. Clericus maior (ideoque et is qui suscepit subdiaconatum) ad statum laicalem redigi dicitur. Idque tribus modis fieri potest: vel per rescriptum Ap. Sedis, vel per sententiam iudicis propter ordinem coacte susceptum (cfr. can. 214), vel denique per poenam degradationis. Est autem ad statum laicalem redactio nihil aliud, quam expoliatio iurium ac privilegiorum clericalium, ita ut, quamvis expoliatus clericus esse perseveret, tamen, iura quod attinet et, si redactio non sit in poenam delicti, etiam obligationes, uti laicus prorsus habeatur. Hinc facile patet, redactionem huiusmodi

posse ab Ecclesia fieri tum per actum summi Principis, tum per sententiam iudicis inferioris ad normam iuris communis prolatam.

2. *Clericus minor ad statum* etc. — Clericus minor, non redigi dicitur ad statum laicalem, sed regredi, id est quasi ex seipso et sua sponte. Regreditur igitur clericus minor et ipse triplici modo: vel ipso facto, vel sua voluntate, vel voluntate Ordinarii id decernentis. Causae in iure descriptae, quibus extantibus ipso facto clericus minor ad statum laicalem regredi censetur, hae sunt: matrimonium contractum, quod irritum non fuerit ex capite vis aut metus (can. 132 § 2); illegitima habitus ecclesiastici ac tonsurae dimissio, mense inutiliter elapso ab Ordinarii monitione (can. 136 § 3); saecularis militiae absque Ordinarii licentia voluntaria susceptio (can. 141 § 2).

Can. 212.

§ 1. *Qui in minoribus ordinibus constitutus ad statum laicalem quavis de causa regressus est, ut inter clericos denuo admittatur, requiritur licentia Ordinarii dioecesis cui incardinatus fuit per ordinationem, non concedenda, nisi post diligens examen super vita et moribus, et congruum, iudicio ipsius Ordinarii, experimentum.*

§ 2. *Clericus vero maior qui ad statum laicalem rediit, ut inter clericos denuo admittatur, indiget Sanctae Sedis licentia.*

Canon clarus. Neque, cum clericus sive minor sive maior, ad statum laicalem regressus vel redactus, inter clericos denuo admittitur, iteranda est ordinatio: haec namque, uti supra diximus, si valide recepta fuerit, indeficiens perdurat per characterem in animam impressum.

Can. 213.

§ 1. *Omnes qui e clericali statu ad laicalem legitime redacti aut regressi sunt, eo ipso amittunt officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia et vetantur in habitu ecclesiastico incedere ac tonsuram deferre.*

§ 2. *Clericus tamen maior obligatione coelibatus tenetur, salvo praescripto can. 214.*

1. Canon definit conditionem iuridicam clericorum, qui ad statum laicalem reducti sunt. *Omnes qui e clericali statu* etc. — Nimirum, clerici huiusmodi facto ipso, quo a statu clericali deciderunt, tum ordinis tum iurisdictionis ecclesiasticae exercendae incapaces fiunt, ita ut actus quilibet ab iis positus, iurisdictionis quidem irritus, ordinis vero illicitus plane sit. Et inde sequitur, neque posse eos officia ecclesiastica,

stricto sensu accepta, retinere, habitum et tonsuram deferre: officia enim ecclesiastica sine exercitio potestatis ordinis vel iurisdictionis non intelliguntur, ac praeterea cavere oportebat, ne fideles, habitu decepti, ab iis peterent, quae ministrare amplius non possunt. Ideo ius statuit, ad statum laicalem reductos, facto ipso reductionis his omnibus expoliari.

2. *Clericus tamen maior* etc. — Clericus maior obligatione coelibatus tenetur. Habet autem haec obligatio rationem voti, et quidem sollemnis. Hinc, nisi clericus maior ab hac obligatione solvatur per specialem dispensationem *ab homine* concessam, dispositione iuris communis obligatio perdurat, salvo tamen casu, de quo in canone sequenti. Contra, uti desumitur ex tenore huius paragraphi, a ceteris obligationibus ipso quoque facto liberatur.

Can. 214.

§ 1. *Clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea, remoto metu, eandem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subiicere, ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia iudicis redigatur, sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus.*

§ 2. *Coactio autem et defectus ratihabitionis probari debent ad normam can. 1993-1998.*

1. *Clericus qui metu gravi* etc. — Ad normam can. 976, subdiaconatus conferri non potest, nisi exeunte tertio cursus theologici anno. Ex iure igitur communi, nonnisi adulti augeri possunt ordine sacro. *Hi* vero, uti D'Annibale ait (*Summula* III, n. 256), nedum *nosse debent quae scitu necessaria sunt,* ... sed insuper *necessaria eis est intentio ut valide, et dispositiones ut licite ea* (nempe sacramenta omnia) *suscipere possint. Et primum intentio, seu voluntas recipiendi sacramentum* ... *Si deest voluntas, sacramentum nullius momenti erit, sive nolit quis illud recipere, sive «non nolit», idest si intentionem neutralem habeat.* Et ratio est, quod recte non dicuntur ab homine suscipi, quae humano modo non suscipiuntur. Itaque deficiente intentione, potest sacra ordinatio per sententiam iudicis irrita declarari, tum quoad obligationes ex ea contractas, tum quoque in seipsa (cfr. can. 1993 § 1). Attamen metus, quamvis gravis, per se non prohibet, quominus voluntarie agam (cfr. comm. ad can. 103 § 2, vol. I pag. 50): unde, nonnullis casibus exceptis, in quibus ipsa natura rerum plenam in agendo voluntatem requirit (cfr. can. 185, 572, 1087, 1307 § 3), ex iuris dispositione actus ex metu positi valent quidem, sed possunt per iudicis sententiam rescindi (can. 103

§ 2). Quid igitur de eo, qui, metu gravi coactus, ordinem sacrum recepit? Impraeiudicata quaestione de validitate ordinationis, Legislator ait clericum huiusmodi et esse sententia iudicis ad statum laicalem redigendum, et nulla postea obligatione clericali teneri. Non autem potest iudex hanc ferre sententiam, nisi sufficienter probatum fuerit et metum gravem extitisse et coacte ordinatum, remoto metu, neque expresse neque tacite ratam habuisse sacram ordinationem. Quod satis difficile est.

2. *Coactio autem* etc. — Probationes, de quibus supra, proponi debent ad normam can. 1993-1998, ubi de causis contra sacram ordinationem, requiriturque ad clericum liberandum duplex sententia conformis.

348.1
T 64
28700
TOSO, ALBERT
AUTHOR ad Codicem Juris Canonici
Commentaria Minora
TITLE Lib. 2 : De Personis
Tome 1

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	DEC 12 1986

28700